





DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE

SENTENTIIS CONTRARIIS

EODEM TEMPORE CIRCA IDEM
NEGOTIVM LITIGIOSVM LATIS TVM EX IVRE
CIVILI TVM PONTIFICALI TVM GERMANICO
ET PVBLICO ET ECCLESIASTICO CONSIDERATIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO ET PRINCIPE HEREDE
AVCTORITATE ET CONSENSV

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA MARBVRGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

AC

PRIVILEGIA DOCTORIS LEGITIME CAPESSENDI

ILLVSTRI SENATVI ACADEMICO

AD OPPVGNANDVM PROPONIT

DIE IAN. A. R. S. MDCCCXVIII

CAROLVS LVDOVICVS WILLE

CASELLIS HASSVS.

TYPIBVS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI ACAD. TYPOGR.



UNIVERSITÄTSMANUSKRIFT
DE
SEPTENTRIS CONTRARIIS
HOBEM TEMPORIS CIRCA IDEM
NEGOTIUM LITIGIOSUM LATUS TAM EX IURE
CIVILI TAM PONTIFICALI TAM GERMANICO
ET JURIS ET NECESSARIO CONSIDERATIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERVASSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINO FRIDERICO
HASSII LANDGRAVI ET PRINCIPIS HEREDI
ACTORITATE ET CONSENSU
ILLUSTRISSIMO IURISCONSULTORUM ORDINE
IN ACADEMIA HANNOVERENSI
PRO LICENTIA
EXAMINOS IN VIROQUE IURE HONORES
AC
ILLUSTRISSIMO DOCTORE LEGITIME CENSURE
ILLUSTRISSIMO SENATU ACADEMICO
AD QUOD IURISCONSULTORUM
DIE 14. JUNII 1717
CAROLVS FREDERICVS WILHELMVS
CASSELLIS HANNOVERENSIS

1717 JUN 14





PRAEFATIO.



I
Constitui apud animum, nonnulla de sententiis, vno eodemque tempore publicatis, et de vna eademque causa loquentibus, sibi tamen contrariis, commentari. Antequam vero ipsum hoc argumentum attingam, quaedam praefari mihi liceat, vt inde intelligatur, quid sint vno eodemque tempore latae, et de vna eademque causa loquentes sententiae, sibi tamen contrariae, quae, vt clarius pateant, duas formabo visiones.

Occasio
huius optu-
scali.

II
Prior visio haec esto! In controversiam vocauerunt Abbatissam Monasterii Bersenbrucensis Alberding, et omnes, qui Alberdingum debitorem appellabant. Die transmittendorum actorum constituta, patronus causae institit, vt, quia Alberdingus Augustanae confessioni addictus est, argumenta in scripturam redacta, quae vulgo acta vocari solent,

Prima spe-
cies foren-
sis,

A

ad

ad ordinem ICtorum, qui vtramque profitetur religionem, transmittantur. Annuerunt his petitis, qui in collegio, quod cancellaria adpellabatur, litibus dirimendis praeerant. Ordo ICtorum Moguntinorum et Giessensium a iudice hunc in finem electus fuit, vt de sententia ferenda inter se inuicem confererent. Euentus autem expectationi haut respondit. Dissensit vterque ordo. Moguntinus causam Alberdingi defendit; Giessenses vero ICTi in contrariam abierunt sententiam. Pluribus hanc inspectionem percensuit Perillustris L. B. IOANNES VL-
RICVS DE CRAMER, summi Imperii tribunalis, quod Wezlariae erectum est, assessor celeberrimus, p. X der Wezlarischen nebenstunden §. 1-4 pag. 141-143.

III

et altera
dispectio,
quae huic
exercitatio-
ni ansam
dederunt.

En alteram dispectionem! Hubertus Weigandus, plurimique ciues Wimpinenses ad Nicrum, cum collegio ecclesiae cathedralis Wormatiensis litem habuere. Controuersia inter illos de decimis agitata fuit. Negabat capitulum Wormatiense, senatum Wimpinensem huius causae iudicem esse competentem, prouocabatque Wezlarium, atque capitulum dictum, fore, aiebat, vt augustum caesaris et imperii tribunal iudex sit supremus. Negauit hoc supremum imperii dicasterium, se iudicem huius causae esse, iussitque senatum mittere acta ad ordinem ICtorum mixtum. Erfurtensis ordo iam sententiam tulerat hac de causa. Moguntiacus ordo ICtorum consultus de causa responderat. Heidelbergensis

PRAEFATIO.

3

bergensis ordo iuridicus non amplius erat mixtus, sed eius adfessores Romana colebant sacra. Magistratus ciuitatis Wimpinensis igitur transmissionem actorum ad duos Ictorum ordines, quorum vnus religioni Romano-Catholicae, alter Euangelicae est addictus, decernendam esse iudicat, ita tamen, vt vterque ordo de sententia communi ferenda inter se conueniat. Eligitur a magistratu ordo Ictorum Marburgensium, huicque libera conceditur facultas cum alio, eoque Romano-Catholico Ictorum ordine, ex illius arbitrio amice conferendi. Nec renuerunt desiderium magistratus Wimpinensis Icti Marburgenses.

IV

Quid sibi videatur, ordo Marburgensis Fuldenfi facultati iuridicae postea significat. Recensio posterioris in spectio nis continetur. Moris enim est, vt ordo iuridicus is, ad quem acta prius mittuntur, tum rationes decidendi conscribat, tum, quomodo sit pronuntiandum, sententia sua, nunciet alteri ordini. Rationes suas decidendi, adiectas sententiae pronuntiandae Marburgenses Icti, literis mandatae, transmittunt Ictis Fuldensibus. Abiit nuntius, acta perferens Fuldam Marburgo die XVI martii A. R. S. c180cclvi, vt hi vel illorum opiniononi adstipulari, vel cum illis dubia, sibi forsitan obuentura, amice possent communicare. Interea, Marburgensibus, rei ignaris, ordo Ictorum Fuldensium in aliam, eamque plane contrariam, iuerat sententiam. Plura de hac visione congeffit laudatus modo Perilustris

4 PRAEFATIO.

Iustis L. B. IOANNES VLTRICVS DE CRÄMER d.
l. §. 5 p. 143-146.

V
Methodus, In excutiendo hoc themate, quod disserta-
qua differ- tioni inscriptum est, eam obseruabo methodum,
tatio haec ut I) inuestigem, quid ius ciuile Romanum de
conscripta vt I) inuestigem, quid ius ciuile Romanum de
est, indica- sententiis contrariis, eodem tempore, circa eandem
tur. rem latis, fanciat. Enodare hic imprimis me oportet
Primum legem 28 et 38 dig. de re iud. et effectu sent.
dissertatio- tet legem 28 et 38 dig. de re iud. et effectu sent.
nis caput.

VI
Alterum Quibus erutis, 2) transitum faciam ad ius
caput, pontificale, vbi capitulum vltimum X. de sentent. et
re iud. mihi est euoluendum.

VII
Tertium. Nec minus 3) de hoc argumento ex iure pu-
blico Germanico, tum politico tum ecclesiastico di-
spicere me oportet, vbi constitutio INSTRUMEN-
TI PACIS OSNABVRGENSIS articulo V §. 55
cum cura est ponderanda. De qua sanctione vero
capite III vberius dicendi locus erit.



CAPVT



CAPVT I
DE SENTENTIIS CONTRARIIS
EODEM TEMPORE LATIS EX IVRE
CIVILI CONSIDERATIS.



§. I

Quod ad primum huius dissertationis caput Primum caput, in quo inuestigatur, attinet, quid scilicet ius civile de sententiis contrariis, eodem tempore latis, caueat, ante omnia, quid sententiae nomine veniat, considerabo.

§. II

Sententia enim generatim considerata est pronuntiatio iudicis in negotiis controuersis, Perillustris et Magnificus huius academiae procancellarius IOANNES GEORGIUS ESTOR quid sit sententia generatim considerata? in den anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses tom. I tit. 84 §. 792 pag. 263.

AS

§. III

Hoc sensu
tum defini-
tium tum
interlocu-
toriam
complexi-
tur.

§. III

Hac sententiae idea, tum sententia definitiua, tum interlocutoria continetur. Haec est decisio puncti alicuius incidentis. Illa vero totam terminat litem.

§. IV

Quid sen-
tentia spe-
ciatim sic
dicta? cu-
ius

Si vero sententia in stricto vsurpatur significa-
tu, tum illa determinatio iusti in visione aliqua con-
trouersa a iudice, cognita causa, facta, dici omni-
no meretur.

§. V

Definitio
explicatur,

Cognitionis praecedentis in hac sententiae defi-
nitione condenda ideo mentionem inieci, ut eam a
mandato S. C. distinguam, quippe in quo determi-
nat iudex, quid iustum sit circa rem aliquam con-
trouersam. Hoc nullas tolerat exceptiones, sed
unicam tantum sub - et obreptionis, quae aut in
dissimulatione veri, aut narratione falsi, aut utroque
se fundat, vir Magnificus ESTOR l. d. tit. 324 §.
2434 pag. 928. Nec opus est, ut idea iniusti huic
definitioni intrudatur, quia, determinato iusto, pa-
tet simul, oppositum huic, esse iniustum.

§. VI

Definitio
Heineccia-
na exami-
natur.

Vt igitur IOANNI GOTTLIEB HEINECCIO,
magni nominis Icto, adsentiam, a me impetrare
non possum, quippe qui in *elementis iuris Romani
secundum ordinem Pandectarum P. VI §. 236 pag.
183* per sententiam intelligit, sollempnem controuer-
siae decisionem per iudicem pedaneum factam se-
cundum leges et acta; quandoquidem sollempnitas
senten-

sententiae character non est, quum in iudicio supremo aulico, quod Viennae cogitur, sententiis nulla adhibetur sollemnitas, neque eadem publicantur. Nam conclusa huius Augusti tribunalis subscripta et subsignata, parti, quae ea impetrauit, per ianitorem insinuantur, illustris Goettingensium ICtus, IOANNES STEPHANVS PÜTTER in *introductione in rem iudiciariam imperii amborum supremorum tribunalium P. 2 libro 2 sect. 2 cap. 1 §. 787 pag. 520, et nouae epitomes processus imperii amborum tribunalium supremorum lib. V cap. 2 §. 473 pag. 286, et illustris IOANNES IACOBVS MOSER von der insinuation der Reichshofraethlichen iudicatorum und exhibitorum, quod scriptum insertum est ipsius miscellaneis P. 2 p. 588. Patet igitur, definitionem sententiae iudicis pedanei, ab HEINECCIO traditam, his sententiis minime posse adplicari.*

§. VII

Plures sententias in vna eademque causa controuersa successiue per instantias ferri posse, nemo, nisi infans, negabit. Ita Sigenae Nassioicae prima instantia agitur coram iudicio oppidano. Secunda est das amts-collegium, tertia cancellaria iustitiae Dillenburgica, quarta est princeps ipse. Hae plures sententiae aut inter se conspirant, aut sibi aduersantur. Inde sequitur prono alueo, vt, si plures sententiae circa vnum idemque litigiosum obiectum publicantur, vel sint conformes, vel sibi contrariae.

Plures sententiae in eadem causa eodem tempore ferri possunt. Hae aut conspirant inuicem, aut non.

§. VIII

§. VIII

Quae sententiae conformes. Sententias conformes eas adpello, quae inter se amico conspirant consensu.

§. IX

Quae contrariae sententiae. Contraria, quae vox metaphysicis, itemque ICris, qui methodum caussarum seu scholam Ramificam sequuntur e. gr. MATTHAEVS WESENBEIVS, VLRICVS THOMAS LAVTERBACHIUS, et qui eos imitantur, in deliciis est, illa dicuntur, si in altero oppositorum est pugna contra alterum, ISRAËL GOTTLIEB CANZ in *adpendice de metaphysica morali cap. 14 §. 175 p. 2321*. Quem contrariorum significatum si adplicaueris sententiis sibi contrariis; tum illae emergunt, si in vna sententia est pugna contra alteram.

§. X

Requisita sententiae recententur. Vt igitur apud Romanos valeret sententia, viginti vnum attendi debuerunt requisita. Danda enim erat sententia 1) a iudice competente, *l. fin. D. de iurisdictione, tot tit. C. si a non compet. iudice;* 2) certa esse debebat et determinata, *§. 32 l. de act., l. 59 §. 2 D. de rei iud. et effectu sentent.* 3) praecisa, 4) clara et perspicua 5) pura, non sub conditione lata, quae si adiecta est, pro non scripta habetur, *l. 1 §. 5 D. quando adp.* 6) quae lata est ad normam legum, mores et consuetudines cuiuscunque loci, *pr. l. de officio iud., l. 13 C. de sentent. et interloc., Authentica iubemus.* 7) secundum acta et probata, *l. 6 §. 1 D. de offic. praef.* 8) quae conformis

EODEM TEMPORE LAVIS EX IVRE CIV. 9

mis libello, tum quod ad obiectum spectat, tum quod ad causam petendi, tum quoad actionem ab actore intentatam, l. 18 D. *communi diuid.*, l. fin. C. *de fideic. libert.*, VLTRICVS THOMAS LAVTERBACH, Camerae Imperialis quondam assessor, collegii Pandect. theor. pract. tomo 3 libro 42 tit. I §. 14 p. 263, CHRISTIANVS FRIDERICVS HARPRECHT *de necessaria sententiae ad libellum conformatione.* 9) lata sit de tota causa, l. 1 D. *de re iud. et effect. sent.*, tot. tit. C. *de sent. et interl.*, IOANNES STRAVCH *in diff. ad ius vniuersum Iustianicum priuatum*, p. 404 §. 2. 10) praecedat causae cognitio, l. 7 C. *de sent. et interl.*, 11) proferaturque a iudice sedente, *Nouella 71 cap. 1.*, v. c. IO. FRIDER. IVGLERI *iudex sedens*, 12) recitetur ex periculo siue scriptura, l. 2, 3, C. *de sent. ex peric. recit.*, 13) tempore congruo, die videlicet fasto, l. 4 C. *quomodo et quando iud. sent. prof. deb.*, 14) partibusque citatis, praesentibus, l. 47 D. *de re iud. et effect. sent.* 15) inter eos, qui litem suo nomine, vel per procuratorem sunt contestati, d. l. 47. 16) loco publico, iuri nimirum dicundo destinato, l. 59 D. *de iudiciis*, l. pen. D. *de l. et l.*, 17) recitetur ex scriptura, plenis vocibus, non notis perscripta, 18) lata esse debet sententia in lingua vernacula, adeoque ex ratione l. 48 D. *de re iud. et effect. sent.* apud nos in germanica, IOANNES IACOBVS MOSER *von dem rechte der Teutschen sprache cap. 1 §. 17.* et cap. 3 §. 1 *in den vermischten schriften über mancherley das Teutsche staatsrecht betreffende materien nr. 2 p. 389:*

B

Causae

Causæ tamen Leodienses, Stabloienses, Tridentinae hic exceptae sunt, quippe in quibus latina lingua adhibetur. In causis Basiliensium acta, gallico germanicoque idiomate coniunctim in dimidiis foliis scripta, Camerae exhibentur, FRIDERICVS GVILLIELMVS TAFINGER *instit. iurispr. Camer. sect. 4 tit. I §. 770 p. 667.* 19) dies et annus latae sententiae in illa exprimantur. 20) dies et hora publicatae sententiae illi inscribatur 21) subscripta denique esse debet a persona, ad expediendas iudicii res constituta. Adi, si placet perillustr. IO. GEORG. ESTOR *in dem 1sten teible der anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses 84 titel §. 809 p. 274 et 275,* et IOANNEM VOETIVM, ICTum olim Lugduno Batauum, *comment. ad dig. tomo II libro 42 tit. I §. 18 p. 778,* et IOANNEM ORTWINVM WESTENBERG, ICTum quondam Lugduno Batauum, *in princip. iur. ciuil. secund. ord. dig. lib. 42 tit. I §. 10, et II p. 975.*

§. XI

Eruitur
sensus l. 28
D. de re
ind. et ef-
fectu sen-
tent., quae
suam debet
originem
Herennio
Modestino.

Duae contrariae sententiae eodem tempore, circa eandem rem latae, supponunt plures iudices, contrarias circa idem obiectum litigiosum sententias protulisse. Collineare huc inprimis videtur l. 28 D. *de re iudicata et effectu sent.*, quippe qua ICTus vtramque sententiam, si duo iudices dati diuersas dederunt sententias, pendere arbitratur, donec iudex competens vnam earum confirmauerit. Lex haec ex libris responsorum, a ICTo HERENNIO MODESTINO diuulgatorum, per compilatores iuris ciuilis
in

EODEM TEMPORE LAVIS EX IVRE CIV. 11

in farraginem digestorum fuit translata. Ictus hic HERENNIUS MODESTINVS in schola Vlpiani nutritus, Imperatori Augusto, Alexandro Seuero, qui ab anno, post reparatam per Christum salutem, 222 per tredecim annos ad clauos imperii Romani fedit, a consiliis fuit. Anno V. C. 990, siue anno post Christum natum 238 cum Fultone Restitutiano controuersiam inter magistros fontium et fulones, per octodecim annos agitatum, decidit. Caesarem Maximinum Iuniozem in iurisprudencia MODESTINVS instituit, teste IULIO CAPITOLINO *in vita Maximini Iunioris cap. 1*. Sub Imperatore Gordiano, qui Augustam hanc dignitatem, anno post conciliatos per natum Christum homines 235, estnatus, de iure respondit, *l. 5 C. ad exhibendum*, in qua lege anno 240 lata, ab Imperatore encomio Icti non contemnendae auctoritatis ornatur, IOANNES AVGVSTVS HELLFELD *in historia iuris Romani libro 1 cap. 8 §. 59 p. 367*, IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS *in historia iuris ciuilibus Romani et Germanici l. 1 cap. 4 §. 286 p. 286*.

§. XII

In lege hac, cuius modo mentionem inieci, Lex dicta duo continent capita. duo capita continentur, omni cum cura mihi perpendenda. Primum hoc esto! iudices complures diuersas dederunt sententias. Alterum vero huc redit: Quid, si diuersae a diuersis iudicibus sententiae fuerint latae, de illis sit statuendum?

B 2

§. XIII

§. XIII

Prius legis
huius caput
eruitur:
quinam
sint illi iu-
dices, qui
diuersas
sententias
tulerunt.

Quod ad primum attinet caput, in hac lege perpendendum, inuestigare me oportet, quinam sint illi, qui ex inspectione Icti MODESTINI diuersas dederunt sententias? Quum vero haec sine accurata iudiciorum, quae veteres inter Romanos viguerunt, noticia intelligi vix possit, non abs re esse mihi videtur, si nonnulla, ad legem hanc vberius illustrandam conducentia, breuibus proponam.

§. XIV

Magna o-
lim inter
magistra-
tum et iu-
dicem erat
differentia.

Magna olim apud Romanos inter magistratum et iudicem intercessit differentia. Vox *magistratus*, a magistro sic dicta, l. 57 D. de V. S. triplici sensu fumitur. Modo enim denotat illum, penes quem summa rerum est maiestas, l. 2 §. 13, 14, de O. I. Hic latus vocis *magistratus* est significatus. Mox in stricta significatione magistratus designat personam publicam, quae iurisdictioni praeesit, l. 2 C. de decur.

Vox magi-
stratus in
sensu lato
et stricto
fumitur.

§. XV

Erant hi vel
ordinarii, et
hi siue ma-
iores, siue
minores.

Hi magistratus erant vel *ordinarii*, vel *extraordinarii*; illi tum statis temporibus, tum semper in Republica Romana fuerunt. Priores vel maiores et curules nuncupabantur, vel minores et non curules. Ordinarii magistratus maiores creabantur auspiciis maioribus, centuriatis comitiis, et gaudebant iure sellae curulis: huc referebantur consules, praetores, censores, aediles curules. Minores magistratus creabantur, et in subselliis sedebant. In horum numerum referebantur aediles plebis, aediles cereales,

cereales, quaestores, tribuni plebis, triumviri capitales, triumviri nocturni, triumviri monetales, curatores viarum. Extraordinarii magistratus non omni tempore magistratum gesserunt, sed, ita ^{vel extra-} ^{ordinarii.} re cogente, extra ordinem creabantur. Tales erant dictatores, magistri equitum, praefecti urbis, interreges, tribuni militum consulari potestate fulgentes, decemviri eadem potestate gaudentes, triumviri reipublicae constituendae, praefecti annonae, triumviri coloniae deducendae, l. 2 §. 16, 17, 18, 20, 21, 22, 24, 25, 26, 27, 28, 33 D. de O. l., laudatus modo WESTENBERG in princip. iuris civilis secundum ordinem digestorum l. 1 tit. II §. 16 pag. 18, PETRVS BYRMANNVS antiquitatum romanarum brevis descriptionis p. 16, et V. C. IOANNES CHRISTIANVS DE SELCHOW in elementis antiquitatum iuris Romani p. 99, 101. Sed uterque significatus ad nostrum in praesens non facit scopum.

§. XVI
 non Transio igitur ad significatum vocis magistratus strictissimum, quippe quo persona publica iuris dicendi causa constituta indigitatur, l. 2 §. 27 D. de O. l. Primus praetor creari coepit anno V. C. 389. Quum enim paulo ante plebs obtinisset, ut alter consulum esset plebeius, male insignis haec summae potestatis iactura habuit patricios; hinc omnem movebant lapidem, ut penes consules eo minus resideret potestatis. Callide igitur patricii, circumvenientes plebem, facile id consequebantur, ut redhominenti loco ex patriciis eligeretur praetor, in quem
 deinde

Sensus strictus vocis magistratus eruitur, qui proprie praetori tribuebatur.

deinde omnem, quae penes consules adhuc fuerat, transferrent iuris dicendi facultatem, vir plane egregius CAROLVS ROLLIN, cancellarius academiae Parisiensis, dans l'histoire Romaine depuis la fondation de Rome jusqu'a la bataille d'Actium sub finem T. II.

§. XVII

Error Pomponii refellitur.

Fallit igitur, falliturque POMPONIVS, quando ideo creatum fuisse praetorem l. 2 §. 27 D. de O. I. perhibet, quia consules auocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere possent.

§. XVIII

Munus praetoris erat triplex.
1) Dabat.

Praecipuum horum praetorum munus constituit in facultate iuris dicendi, quod tribus vere verbis expediebatur: DO, DICO ADDICO. DABANT enim praetores actionem, exceptionem, bonorum possessionem, tutores ex lege Atilia, iudices.

§. XIX

2) Dicebat.

DICEBANT praetores, quum ob certarum causarum, aut personarum qualitatem, iudice non dato, ipsi extra ordinem cognoscebant, cognitaque causa, pronuntiabant sententiam. Dicere autem solebant hi magistratus vel pro tribunali, ex loco celsiori et illustriori, vel de plano, etiam in via, l. 4 §. 1 D. de interrogat. in iure faciendis, l. 18 D. in fine

3) Addicebat.

de quaest. ADDICEBANT praetores in cessionibus, CAROLVS SIGONIVS *Libr. I de iudiciis cap. 9 et cap. 10*, IOANNES FRIDERICVS BOECKELMANN, antecessor olim Lugduno-Batauus, *commentariorum in digesta Iustiniani l. I tit.*

14 §. 3 p. 81. Vnde factum est, ut illi dies, quibus praetor sui copiam faciebat, et tria illa verba, fari poterat, FASTI; quibus vero ius non reddebatur, NEFASTI dicerentur, per quod lux affunditur haut exigua illis OVIDII versibus, qui libro 1 *fastorum* vers. 47, 48 leguntur:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebat agi.

Id quod iam M. TERENTIUS VARRO *de lingua latina* libro V perscrutatus est. „Dies, inquires,
„fasti, per quos praetoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Dies nefasti, per quos dies nefasti, fari praetorem: DO, DICO, ADDICO.

§. XX

Praetor sic, siue magistratus, voce hac in stri-
ctissimo sumta significatu, pro tribunali sedens, nisi ipse cognouit, iudices, qui cognoscerent, dabat praescripta illis certa iudicandi formula. Hi iudices a praetore dati vocabantur pedanei, non quia de negotiis pedestribus siue vilioribus, uti *l. fin. C. de iudic. pedaneis* vocabulum *pedanei* interpretatur, cognoscebant, sed potius, quia pedibus praetoris in subselliis adsidebant, NICOL. HIERONYM. GVNDLING in *protis digestor.*, AVLVVS GELLIVS in *notis Atticis* libro III cap. 18. Vnde et veteres verbum sedere pro iudicare saepius vsurparunt.

§. XXI

Ex his igitur patet, iudicem pedaneum esse
perfo-

cis pedanei personam habilem, ad iura factis, secundum praescriptam formulam adplicanda constitutam, siue, quod efformatur, etiam huc redit, ex mente IOANNIS GVILIELMI DITTMARI *diff. de iudice pedaneo* §. 5 p. 10, est persona a magistratu maiori siue praetore, ad res priuatas, ad formulam a praetore praescriptam, cognoscendas, constituta. Compara etiam CAROLVM GOTTLIEB KNORR, *ICum olim Hallensem, de praetore et iudice pedaneo*. Talis formula v. g. erat: si paret, Lucium Titium Caio centum debere, condemna. Plures formulas exhibet BAR-NABAS BRISSONIVS *de formulis* p. 352 seqq.

§. XXII

Praetor igitur gaudebat iurisdictione et imperio mixto, pedaneus tantum notione.

Praetor igitur et iurisdictione et mixto imperio fulgebat, IOANNES ORTWINVS WESTENBERG *in princ. iur. ciuil. secund. ord. digest. l. 1 tit. 14 §. 11 p. 65*; iudex vero pedaneus nudam tantum habuit notionem, quippe quae est ius a magistratu delegatum, cognoscendi de factis hominum.

§. XXIII

Haec notio haut cohaeret iurisdictioni.

Haec notio iurisdictioni haut cohaeret, Magnus et Perillusstris huius academiae procancellarius IOANNES GEORGIVS ESTOR *in diff. de iure magistratus, non rogati a iudicante, exsequendi sententiam, quam tulit magistratus prouinciae alius, capite I §. 3 p. 2.*

§. XXIV

Iurisdic-tio praetoris

Quum ergo praetor iurisdictione fulgebat; haec vero decreto et iudicis datione absoluebatur, inuestigare

stigare iam me oportet, quid per te decernere, et iudicem dare, indigitetur? confister
bat.

§. XXV

Decernere denotat, 1) de iure pronunciare, 2) agendi formula postulantem instruere 3) iubere, 4) cauere, 5) in possessionem mittere, 6) restituere in integrum, 7) iubere possideri, 8) bonorum possessionem dare, 9) tutorem dare, 10) illum confirmare, 11) alimenta praestare. Hinc patet, quid decreti nomine veniat, sc. omne id, quod praetor modis iam allegatis iubet, GYNDLING in digest. p. 132, et Perillustis Goettingensium Antecessor GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAYER *de iurisdictione cap. I §. 110.* 1) in de
cernendo

§. XXVI

Altera pars iurisdictionis, qua ornati praetores gaudebant, erat iudicis datio. Iudicem vero dare, denotat, notionem facti alicuius cuidam ad formulam praescriptam committere. 2) et iudi
cis datio
ne.

§. XXVII

Acturus igitur contra alterum a praetore iudicem postulabat ita: P. I. A. P. V. D. i. e. Praetor! iudicem arbitrumve postulo, uti des. Quo dicto, praetor, nominibus iudicum in urnam coniectis, eum numerum forte educebat, quem lex praescripsit. Probati a litigantibus iudices, illi enim, nondum inchoato iudicio, hos recusare poterant, iurabant in leges, ANT. SCHVLTING *de recusatione iudicis cap. VI p. 29 dissertationum.* Reus contra, ubi negotium stricti iuris intercessit, postulabat exceptionem, quam in bonae fidei iudiciis a reo non petitam, supplere adhuc poterat iudicis officium, IOSEPHVS AVERA-

C

NIVS

NIVS, antecessor olim Academiae Pisanae, *libro I interpretationum iuris*, cap. 14 §. 27-35 p. 203-206, **GERARDVS NOODT**, *ICtus olim Lugduno Batavius, de iurisdictione et imperio lib. I cap. 13 operum T. I p. 97*, Perillustri **IOANNES GEORGIUS ESTOR** *laudato loco §. 17 p. 9.*

§. XXVIII

Petita a reo exceptione, et dato iudice, litigantes litem contestantur.

Postulata igitur per actorem actione, petita a reo exceptione, postulato iudicio, dato a praetore iudice pedaneo, formula huic plerumque praescripta, litigantes litem contestabantur, quod fieri dicebatur, quando ex actoris narratione et rei contradictione causam iudex coepit audire, *l. vnic. C. de litis contestat.* Litigantes sic quasi contrahabant, se ad finem usque in hoc iudicio permanuros, et se eum adprobare iudicem, quem nominauerat actor, vel se eum probare iudicem, quem praetor addixerat, *l. 80 D. de iudic.*, **HERMANNVS VVLTEIVS**, procancellarius olim huius academiae post fata celeberrimus, *de iudiciis l. III cap. I p. 524*, laudatus modo perillustri **ESTOR** *l. d. §. 15 p. II.*

§. XXIX

Constituto ita iudicio, res a praetore transibat ad iudices pedaneos.

Postquam igitur litigantes litem coram praetore contestati fuerunt, iudicium iam omni ex parte constitutum intelligebatur, adeo, ut constituto ita hoc iudicio, res transiret ad iudices pedaneos, qui illam cognoscebant. Litis igitur contestatio erat assumptio iudicis pedanei, a praetore dati, et repetitio actionis cum rei negatione, **NICOLAUS HIERONYMVS GUNDLING**, *ICtus olim Hallensis, diss. de litis contestatione §. 4 p. 3*, **CAROLVS GVILIELMVS**

WIP-

WIPPERMANN *de obseruando statu, quo fuit possessio tum ex iure naturae, tum gentium, tum civili, tum pontificali, tum publico ecclesiastico germanico ratione et motae controuersiae, et litis pendentis, et adpellationis interpositae, et anni decretorii cap. III §. 83 p. 38.*

§. XXX

Praestructa iam veterum iudiciorum, quae inter Romanos floruerunt, forma, facile inde sequentes deduci possunt differentiae, quae inter praetorem et iudicem pedaneum intercedebant. Prima differentia se exferit, si numerum iudicum pedaneorum respexeris, qui in quinque descripias decurias ad aliquot millia iudicantium excreuit, GVNDLING *in digestis l. II Tit. I p. 132*, IOANNES TOBIAS KREBS *de iudicum Romanorum decuriis Lips. 1744*: quum contra tempore Imperatorum Iulii Caesaris, Augusti, Tiberii, modo duodecim, modo quindecim, modo sedecim praetores creatos fuisse nouimus, DIO CASSIVS *de rebus Romanis l. XLIII p. 237, 239, lib. LVI p. 586 Libr. LVIII p. 634.*

Differentia inter praetorem et iudicem pedaneum inuestigantur. Prima differentia.

§. XXXI

Alia differentia eruitur, si locum, in quo lites ventilabantur, consideraueris. Praetor, quoties ipse pro tribunali ius dicebat, locum superiorem, qui tribunal vocabatur, ascendit. Tribunal hoc erat locus celsus et spectabilis in foro fere hemicycli specie introrsum curuatus, in quo praetor, sellae curuli insidens cognouit. Formam huius tribunalis egregie delineauit MARCVS VITRUVIVS POLLIO, architecturae scriptor antiquus, *Archit. l. V cap. I.* Iudices vero pedanei occupabant subsellia, augustum

Differentia secunda.

hoc tribunal circumdantia. Haec subfelia erant sedelia minorum magistratuum, quae tribunal, quod proprium erat magistratibus Romanorum maioribus, ambabant, DIETHMAR *de iudice pedaneo* §. 5 p. 10. Hoc tribunal erat in fornice siue arcu Fabiano, Perillustris IOANNES GEORGIUS ESTOR *in der entwicklung der verworrenen lehre von der Roemischen usucapion im ersten abschnitte des zweiten teiles* §. 113 f. 65. Hallucinatus igitur fuit ALEXANDER DONATVS, familiae Loioliticae olim adscriptus, qui *Romae veteris et recentis vtriusque aedificiis illustratae cap. XII p. 115* in Puteali Scribonii Libonis tribunal praetoris erectum fuisse asseruit. Hoc Puteal Scribonii Libonis, quod Perillustris ESTOR *dicto loco* adumbravit, erat inter porticum Iuliam et arcum Fabianum. Compara GEORGIUM FABRICIUM in libello, cui inscripsit ROMA, quique insertus est ROMAE ILLUSTRATAE, siue *antiquitatum Romanarum breuiario p. 428.*

§. XXXII

Differentia Alias iam percurramus differentias, praetorem a iudice pedaneo distinguentes. 3) Ille, prout §. XXII dixi, iurisdictionem cum mixto imperio exercuit. Huic notio competuit, l. 15, D. de re iud. et effectu sentent. quarta 4) ille de iure cognouit, actionem actoris, rei que exceptionem audiuit, decernens, quid iure sit pronuntiandum, si actor intentionem suam probasset: hic vero de facto dispiciebat, vtrum actor suam actionem, an vero reus suam exceptionem possit demonstrare? quinta 5) ille huic formulam dabat praescriptam: Hic ex formula, ab illo praescripta, ferebat sententiam

fiam 6) ille iudicium, postquam litigantes litem fuerunt contestati, dabat, hic, cognita causa, iudicabat. 7) Ille ex selectis iudicibus, quoscunque voluit, etiam inuitos, iudices litigantibus dare potuit. Hic in iudicium cogi potuit, quandoquidem hoc iudicandi onus munus fuit publicum, quod recusare nefas erat, *l. 39 D. de re iud. et effectu sent. l. 1 pr. et 2 D. de vacat. et excusat. munerum.* 8) Ille populi suffragiis, hic a praetoribus exigebatur. 9) Ille ex omni populo, hic ex certo plerumque ordine eligebatur, prout has vicissitudines per seriem temporum deduxit Perillustris IOANNES GEORGIUS ESTOR in *diff. de iure magistratus non rogati a iudicante exsequendi sententiam, quam tulit magistratus provinciae alius cap. 1 §. 4-9 pag. 3-7.* 10) Ille sententiam iudicium pronunciauit, hic sententiam tulit, nostra, de qua iam agimus, *lex 28 D. de re iudicat. et effectu sent.*, SAMVEL PITISCVS, Professor quondam Lycei Hieronymiani Ultraiectini, *LEXICI antiquitatum Romanarum Tom. 1 p. 978.* 11) Ille erat magistratus, hic iudex priuatus, si magistratum, a quo dabatur respicias, quandoquidem ratione litigantium publicoungebatur munere *l. 18 D. §. 14 de muneribus et honoribus.* 12) Quae coram praetore fiebant, ea in iure peragi dicebantur, quum contra ea, quae coram iudice pedaneo expediebantur, in iudicio facta fuisse aiebant Romani; et quamuis interdum ea in iudicio peracta fuisse vocentur, quae in iure fieri debebant; nullibi tamen id, quod in iudicio, proprie accepto, peragi debebat, in iure peractum legitur. Qua ex causa etiam ea, quae apud iudicem fiunt,

sexta

septima

octava

nona

decima

vndecima

duodecima

decima
tertia

fiunt, numquam fiunt apud magistratum, quantum-
uis ea, quae apud magistratum fiunt, apud iudicem
quandoque fieri dicantur. 13) Coram illis expedie-
bantur, quae a litigantibus ante litis contestationem
fieri debebant, quum contra ea, quae litis contesta-
tionem excipiebant, coram iudice pedaneo peragen-
da fuerunt; litis enim contestatio finis erat eorum,
quae coram praetore agebantur, et initium simul
eorum, quae coram iudicibus fiebant pedaneis.

§. XXXIII

Differentia
decima
quarta.

Ex his denique 14) alia prodit differentia. *Con-
trouersia* videlicet mouebatur coram praetore; *lis*
vero demum oriebatur, si res iam ad iudicem peda-
neum transierat. *Controuersia* igitur dicitur omnis
caussa coram praetore in iure ante litis contestationem
orta, quum contra caussa, per litis contestationem, in
iudicium coram iudice pedaneo iam deducta, litis
nomine venit, CAROLVS GVILIELMVS WIP-
PERMANN *de obseruando statu, quo fuit possessio ex
omni iure cap. III §. 87 p. 40.*

§. XXXIV

Differentia
decima
quinta.

His vltimam tandem et 15) adiungere licet dif-
ferentiam. Praetor *ius dicens*, iudex pedaneus au-
tem saepius in iure *iudex datus* audit, cuius mentio
fit in laudata l. 28 dig. de re iud. et eff. sent.

§. XXXV

In lege 28
D. de re
iudicata et
effectu sen-
tent. per

Intelliguntur igitur in dicta l. 28 D. de re iud. et
eff. sent. per *iudices datos*, iudices illi pedanei, qui a
praetore ad causas priuatas cognoscendas dari sole-
bant, quos ideo IACOBVS CVIACIVS, *ICtus o-
lin*

lim Bituricensis, *observationum et emendationum libri*. indices da-
XII capite XVI p. 402, et L. XXI. cap. 31 p. 741. tos intelli-
καμυδιστάς nuncupavit. guntur iu-
 dices peda-
 nei.

§. XXXVI

Licet plerumque plures pedanei iudices consti-
 tuerentur, *l. 36, 37, 38, 39 D. de re iudic. et eff. sent.*; accidit tamen saepius, ut modo vnus iudex,
l. 80 D. de iudiciis, l. 57 D. de re iud, l. 23 D. de ad- tur iudices,
pellat., modo duo iudices pedanei, id quod lex,
 quam nunc explicamus, *l. 28 D. de re iud. et eff. sent.* constituerentur. Plerumque tamen impar iu-
 dicum numerus dabatur, quia ex sententia VLPIA-
 NI, si dissentiant, maior pars in impari numero in-
 uenitur, cuius arbitrio stabitur, *l. 17 D. §. 6 de re-
 cept., qui arbitr. recip., ut sententiam dicant.*

§. XXXVII

Neque igitur est, quod quis obmoueat senten-
 tiam ICI CELSI, statuentis, vno ex tribus iudici-
 bus absente, duos reliquos iudicare non posse, *l. 39 D. de re iud. et eff. sent.*; quum vniuersi iudices
 intelliguntur iudicare, si omnes adsint, *l. 37 D. de re
 iud. et eff. sent.* Plane vero alia mouetur quaestio,
 si tertius ille iudex adfit, et contrariam solus tueatur
 sententiam. Tum enim standum est duorum sen-
 tentiae, *l. 39 D. de re iud. et effectu sent.* Immo et-
 iam, si vni, ex pluribus datis iudicibus, de causa
 aliqua cognoscenti non liqueat, ceteri vero consen-
 tiant, tum, si is, sibi non liquere, iurauerit, hoc
 quiescente, ceteri, qui consentiunt, omnino sen-
 tentiam ferre possunt, quia, etsi dissentiret; plurium
 tamen

Sententia
 ICI Celsi
 sub in-
 dem reuo-
 catur.

tamen sententia obtinet, l. 36 D. de re iud. et eff. sent. Certe, si iudici non liquet, sententiam ferre non potest, sed dicit tantum, vel iurat, sibi non liquere, quod pro sententia accipi non potest, quum nec absolutionem nec condemnationem continet. Talis potius iudex, vt SENECA libro II controuersiarum, verbo, ait, non damnantis, sed dubitantis utitur; quorsum spectat, quod idem Philosophus libro VII Epistolarum: „ aut sententiam dic, inquit, aut quod „ facilius in eiusmodi rebus est, nega, tibi liquere. „ Iudex sententia demum, quid sibi liqueat, prodit, l. 22 ad L. Corneliam de falsis. Conf. IACOBVM CVIACIVM observationum et emendationum libro VI cap. 27 p. 183.

§. XXXVIII

Transitus fit ad l. 38 D. de re iud. et eff. sent. Ex quibus omnibus facile est intellectu, quid statuendum sit de visione l. 38 D. de re iud. et eff. sent.; si nempe duo iudices dati diuersas tulerunt sententias. Duo adhuc capita ad explanandam hanc legem monenda esse duco.

§. XXXIX

Inuestigatur, quid in hac lege per locutionem sententiam ferre, intelligatur? Primum hoc esto. Locutio *sententiam ferre* nostram corroborat huius legis enodationem, ad quam species haec a ICTO MODESTINO proposita de iudicibus pedaneis explicanda est, quippe de quibus Romani dicere consueuerunt, quod sententias *ferunt*; quum contra, praetorem sententias iudicum *pronuntiare*, dixerunt, §. XXXII. Alterum, quod aliqua adhuc indiget explanatione, est, quid per voces *diuersae sententiae* intellectum velit ICTUS MODESTINVS? Nobis omnino videtur, *diuersas sententias* hic idem deno-

denotare, quod alias per sententias sibi inuicem aduersas indigitatur.

§. XL

Quae enim sibi inuicem aduersantur, illa omnino a se inuicem sunt diuersa. Probe igitur PLINIUS *libr. VIII Epistolarum*, quae dicuntur, ait, diuersae, numerari debent ut contrariae, et rectissime ACCVRSIVS *ad dictam legem 28 D. de re iud. et eff. sent.* diuersas sententias per contrarias interpretatus est. Metaphrastes Graecus: „δύο χαρμάντας ἂν ἐναντίας ψήφοι,“ cui adstipulatur IACOBVS CVCACIVS *libro XII obseruat. et emendat. cap. 16 p. 402.*

Quod sententium continetur.

§. XLI

Eruto iam legis 28 *D. de re iudicata et eff. sent.* prioris capite, deuoluor nunc ad posterius legis huius caput, inuestigaturus, quid, si duo iudices dati, diuersas tulerunt sententias, ex Iuris Romani principiis, ad praescriptum huius legis sit statuendum. MODESTINVS, sunt verba legis huius sequentia, respondit, „vtramque sententiam in *pendenti* esse, do- „nec competens iudex vnam earum confirmauerit.“

Posterius dictae legis caput eruitur, quod se diuersae sententiae, a diuersis iudicibus datis latae, in *pendenti* sint.

§. XLII

Illam sententiam in *pendenti* esse dicitur, cuius effectus adhuc suspenditur. Effectus sententiae primarius est, ut vires rei iudicatae nanciscatur. Nullus igitur hic rei iudicatae est locus: quod tamdiu obtinet, quamdiu iudex competens neutram confirmauit.

Sensus locutionis: in *pendenti* esse, *penditur*.

§. XLIII

Per iudicem competentem intelligitur hic praetor, qui iudices pedaneos, diuersas ferentes sententias, constituit. Elucescit haec interpretatio exinde,

Quod indigitatur in dicta lege, per iudicem

D

quod

cem competentem? quod iudicibus datis in iure opponatur iudex dicens, siue praetor, WESTENBERG in *Diuo Marco, seu in diff. ad constitutiones Marci Aurelii Antonini Imperatoris diff. 25 §. 14 p. 263.*

§. XLIV

Vocis iudicis significatus non semper vnus idemque fuit.

Iudicis significatus non vnus idemque Romanis semper fuit. Antiquissima enim si respexeris tempora, iudicis nomen magistratibus cunctis maioribus, et ex iis Praetori per eminentiam s. *nat. §. 20* fuit tributum, CICERO *de legibus cap. 3, l. 1 D. de iudiciis*, vbi iudicis, qui tribunali praeest, mentio iniicitur. Sequiore demum aetate significatus ab hac iudicis idea recessit, et ad pedaneos transiit iudices, *L. 2 D. de R. I., l. 7 §. 7 D. de administrat. tutelae.* Circa imperatorum denique tempora auctus fuit significatus iudicis, omnibusque accommodatus, qui ius dicerent, IOANNES STRAVCH, in *dissertationibus ad ius vniuersum Iustinianicum priuatum diff. XXI. §. 2.*

§. XLV

Ratio, cur tales sententiae diuersae inpendenti sint, redditur.

Quae vero ratio subest, cur vtraque sententia sibi inuicem contraria, a duobus datis iudicibus lata, pendere dicatur, donec praetor alterutram confirmauerit? Inuestigabo illam! Iudex pedaneus olim, vti deduxi, de facto tantum dispexit, vtrum actor suam intentionem, an vero reus suam exceptionem possit demonstrare? Fac igitur, duos iudices pedaneos de facto aliquo inter Titium et Caium cognouisse. Finge, vnum iudicem, Paullum Roscium, sentire, Caium intentionem satis probasse, Titium vero exceptionem ficulneo inniti fundamine. Dic alterum iudicem pedaneum, Flauium Manilium, in ea opinione

nione haerere, intentionem agendi ex parte Caii friuolam esse, adeoque iure per Titii exceptiones potuisse elidi. Quae igitur cognitio praeualebit? Rosciine? an vero Manilii? Profecto neutra praeualere potest; quum formula praetoris Roscio et Manilio iudicibus pedaneis data: si patet, Titium Caio centum debere, condemna! huic visioni non possit applicari; quandoquidem ex mente Roscii, Titius ad soluendos Caio centum aureos est obligatus; contra ex opinione Manilii Titius ab actione, a Caio sibi intentata, absolui debet. Vtraque igitur sententia et Roscii et Manilii pendebit, donec praetor alterutram confirmauit. Haec sufficiant ad explicandam *l. 28 D. de re iud. et eff. sent.*

§. XLVI

At, lector! videris mihi dubium mouere, et Proponiis, quae ex *l. 28 D. de re iud. et eff. sent.* deducta fuerunt, obiiicere legem *38 D. de re iud. et eff. sent.*, quippe quae contraria contineat sancita: nonne inter has leges manifesta adest pugna, ut regulis etiam hermeneuticis inuicem non possint conciliari? Prior enim vult, ut vtraque diuersarum sententiam pendeat, donec competens iudex vnam earum confirmauit. Posterior sancit, ut, si inter pares iudices diuersae sententiae ferantur, mitior semper rigidiori praeferratur. Quae igitur legum harum conciliatio?

§. XLVII

Sed salua res est! En dubiorum prolatorum solutionem! Dari in iure leges, sibi inuicem contradicentes, nemo, qui vel obiter ius Iustinianum voluauerit, inficiabitur, v. g. *L. 31 §. 1 D. de nouat. aduer-*

Proponi-
tur dubi-
um ex *l. 38*
D. de re
iud. et ef-
fectu sen-
tent., quip-
pe quae
lex priori
aduersari
videtur.

Dantur in
iure ciuili
antino-
miae.

aduersatur legi 27 pr. D. de pactis, et l. 36 D. de A. R. D. est contraria legi 18 D. de R. C., BURGHARTVS GOTTHELF STRVVE in historia iuris p. 298.

§. XLVIII

Quae ta-
men ple-
rumque
adparentes
tantum
sunt.

Verum enim vero non omnis pugna, quae inter aliquot iuris ciuilibus leges intercedit, est vera, sed tantum adparens, atque putatiua. Cauendum igitur omnino est, ne primo statim intuitu nobis persuadeamus, veram antinomiam, si textus conspirantes haut inueniuntur, adesse; quia adhibita perscrutatione debita, saepius elucescit, imaginariam tantum et adparentem inter non nullas leges obseruari contradictionem.

§. XLIX

Concilia-
tur l. 28
cum lege
38 D. de re
iud. et eff.
sentent.

Quae igitur hic generatim sunt monita, adplicemus iam tentandae legis 38 π. de re iud. et eff. sent. cum lege 28 π. de re iud. et eff. sent. conciliationi. Ex antecedentibus §§. iam patere puto, l. 28 π. de re iud. et effect. sent. de iudicibus pedaneis, quibus ius cognoscendi tantum de factis hominum a magistratu maiore, praetore videlicet, delegatum fuit, occupatam esse. Qua visione supposita, recte omnino respondit ICTUS MÖDESTINVS, neutram harum sententiarum valere, donec praetor suam declarauit mentem. Peruidit id iam GEORGIUS ADAMVS STRVVE, ICTUS olim Ienensis, in evolutionibus controuersiarum Libro XLII tit. I thes. 12 p. 401. Lex vero 38 π. de re iudic. supponit, diuersos iudices, non delegatos, sed ordinarios, diuersas pronuntiasse sententias, IOANNES HEINRICVS DE BERGER in resolut. legum obstantium L. XLII tit. I p. 631. Cuius-

Cuiusnam igitur sententiae ex lege hac 38 π. de re iud. et eff. sent. disparibus iudicum votis sit standum, servato caussarum, de quibus lis agitur, discrimine, nunc indagare me oportet. Sequentes hic attendendae sunt regulae.

§. L

Prima regula haec esto! si pares sunt iudicum sententiae, mitior sententia rigidiori est praeferenda. Iubet hoc l. 38 π. de re iud., de qua mihi est sermo. Cum illa conspirat l. 8 C. qui bonis cedere possunt, et l. 70 π. de iure dotium. Vnde fit, ut in caussis liberalibus, ubi de libertate conuertunt litigantes, semper inter pares iudicum sententias, illa, quae pro libertate pugnat, vincat alteram, quae ad libertatem infringendam fuit lata. Fac, litem agitari inter Titium et Sempronium, num Stichus sit liber, nec ne? Finge, duos testes deposuisse Stichum seruituti esse addictum. Fac, alios duos testes asseuerare Stichum esse liberum. Profecto, si hanc fixeris speciem, praeualebit sententia, qua Stichus liber pronunciat, l. 38 π. de re iud., l. 24 pr. et §. 7 π. de manumissionibus, Perillustris Camerae Imperialis Assessor IOANNES VLTRICVS L. B. DE CRAMER in diff. de calculo Minervae suos terminos vindicante §. 17 p. 36 T. 1 Opusculorum.

Prima regula de diuersis sententiis, eodem tempore a diuersis iudicibus latis, proponitur.

§. LI

Nec obstat huic asserto l. 30 π. de liberali caussa. Non enim inter duos iudicii eiusdem iudices aut in eadem lite dissensus erat, sed quum diuersi actores coram diuersis separatis iudiciis dominium serui Stichi sibi vindicare vellent, et in vno iudicio Stichus

Remouetur dubium ex l. 30 D. de liberali caussa formatum.

liber, et in altero feruus pronunciatus esset; certe non aliud commodius explicandae huius difficultatis remedium apparebat, quam quod IULIANVS ICtus in dicta lege propofuit.

§. LII

Altera regula in medium proferitur.

Altera regula ita formari debet: Inter paria iudicantium vota illud alteri praecedit, quod pro reo militat. Id quod eodem modo ex dicta l. 38 π. de re iud. patet, adde l. 125 π. de regulis iuris, et l. 47 π. de O. et A., ad quas leges iura has adscribunt exceptiones, vt, si fauor pro actore militet, pro hoc sententia est proferenda; altera exceptio est, quod, antequam litem nondum contestati sunt litigantes, maiore fauore actor gaudere debeat, quam is, quem rei vices subire oportet, ANDREAS GAILL, Cancellarius quondam archiepiscopi Colonienfis, *Libro I obseruationum practicarum obseruat.* 31 nr. 12, Perillustis huius sedis litterariae Procancellarius IOANNES GEORGIUS ESTOR *in den anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses, in dem ersten theile Vten titel §. 29 f. 16.*

§. LIII

Cui tertia regula subnectitur, quae

Inter paria iudicum suffragia de dictanda reo poena dispiciendum est, num conspirant haec paria iudicantium vota in idem poenae genus, dissensu tantum, si ad gradum poenae respexeris, orto, vtrum vero, ratione ad idem poenae genus habita, dissentiant? Vtramque si supposueris visionem, mitior sententia ad legem 27 §. 3 π. de arbitris et l. 38 π. de re iud. reliquis est praeponenda. En tertiam regulam circa paritatem votorum, attendendam!

Peril-

Perilluſtris et Magnificus huius Academiae Procan-
cellarius IOANNES GEORGIVS ESTOR *in dem
Iſten teile der anfangsgründen zum gem. und Reichs-
proceſſe 86ten titel, §. 816 p. 278.*

§. LIV

Exemplum priorem §. reddat illuſtريorem. Fac, <sup>exemplo
illuſtريor
redditur.</sup>
ſex iudices adesse: ſinge duos iudices Meuiο pecu-
nariam multam 20 florenorum, duos 15, reliquos
duos 12 florenorum irrogandam cenſere: Tum ex
ſtabilitis antea principiis poena Meuii erunt 12 flo-
reni. Fac ſex iudices eſſe, duos Meuium capite ple-
ctendum, duos illum relegandum, duos illum ab-
ſoluendum eſſe ſentire: Meuius certe impunis erit
dimitendus.

§. LV

In aliam plane, eamque contrariam, ſententiam <sup>Sententia
Cocceii
trutinatur.</sup>
iuit HENRICVS DE COCCII, a conſiliis olim Re-
gi Borussiae ſecretioribus, et antecelſor Viadrinus,
*in diſſ. de eo, quod iuſtum eſt circa numerum ſuffra-
giorum, vbi de calculo Mineruae ſect. III §. 5 p. 731 vol.
II exercitationum curioſarum* egit. Quam opinionem
refellit Perilluſtris IOANNES VLRICVS L. B. DE
CRAMER *Diſſ. XVIII vol. II opuſc. de calculo Miner-
uae ſuos terminos vindicante §. 10 p. 431.*

§. LVI

Haec diremtio negotii per plura ſuffragia vul- <sup>Haec deci-
ſio litis per
diuerſa
ſuffragia
vocat
calculus
Mineruae.</sup>
go nominatur calculus Mineruae, de quo conſulas
velim, praeter laudatum modo L. B. DE CRAMER,
HVGONEM GROTIUM, inclitum illud Belgii foe-
derati decus, in aureo libro *de iure Belli et Pacis l. 2*
cap.

cap. 5 §. 18., HENRICVM BOECLERVM de calculo Mineruae, et HENRICVM DE COCCEII in *Diff. 36 de eo quod iustum est circa numerum suffragiorum, et de calculo Mineruae p. 700 exercitationum curiosarum, qui sect. II §. 3 seqq. p. 723 seq. veterum suffragandi ritum perscrutatus est. His adiunge IACOBVM CUIACIUM Libro XII cap. 16 p. 402 observationum ac emendationum, quem depexum dare frustra allaboravit citatus modo HENRICVS DE COCCEII d. l. sect. III §. 25 p. 730, 731.*

§. LVII

Viso de
sententiis
iudicum
disparibus
aequo suf-
fraganti-
um iure
examina-
tur, et

Grotii a-
liorumque
opinio ex-
penditur.

Sed quid sentiendum est de illa specie, qua sententiis iudicum disparibus, aequum tamen suffragiorum ius non exsulat? Sunt v. g. septem iudices, quorum duo reum capite, duo exsilio, tres multa pecuniaria puniendum arbitrantur. Vni sententiae alias dispaes sententias iungendas esse, si vna contineat alteram, multi doctorum autumant, quorum praee aliis hucreferendi sunt 1) HUGO GROTIUS in *floribus sparsis p. 132*, cuius tamen sententia aberrat ab iis, quae in opere *de iure belli et pacis L. II cap. V §. 19* deduxerat, 2) COCCEII d. l. *sect. III §. 6 p. 732*, qui mediam condemnantium sententiam, aduersus duas extremas praeualere debere, pronuntiarunt.

§. LVIII

Verior
sententia
proponi-
tur.

Verum enim vero quo minus huic accedam opinioni, sequentes me prohibent rationes. Qui patria suffragantium vota illaesa admittit, facile is mihi largitur, eam sententiam potiore esse, cui pauciores aduersantur iudices. Ex qua enim ratione plura suffra-

suffragantium vota, si duas diuersas finxeris sententias, litem decidunt, ex eadem etiam ratione pluribus iudicantium suffragiis, si plures diuersae adsunt sententiae, vis decidendi denegari non potest. Qui enim illam sententiam esse praefendam iudicat, quae pluribus adprobatur, is certe etiam eam sententiam anteponet, quae paucioribus displicet.

§. LIX

Finge iterum visionem priore §. adumbratam. Capitis poenam esse irrogandam, volunt duo vota, quod tamen quinque negant; in exilium mittendum esse reum, iubent etiam duo suffragia, quibus quinque vota aduersantur; multa vero pecuniaria reum esse afficiendum, tria vota pronuntiarunt, quibus obuiam iuerunt suis sententiis quatuor iudices. Sententia, qua reo poena pecuniaria dicitari debet, pluribus votis, tribus videlicet suffulcitur, quum duae reliquae sententiae diuersae, duobus tantum suffragiis sustentantur: et pauciora vota contra poenam pecuniariam militant, quandoquidem poenae capitis et exilii quinque aduersantur, vota. Praeualet igitur sententia, quae reum multa affici vult pecuniaria, quippe quae pluribus adprobatur, et paucioribus displicet iudicibus, Perilluſtris ESTOR *in dem ersten teile der anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses 86ten titel §. 817 p. 278.* Compara, si placet, IACOBVM CVIACIVM L. XII cap. 16 p. 402 *obseruat. et emend.*, et Perillustrem IOANNEM VLRICVM L. B. DE CRAMER *de eo, quod iustum est*

Principia
de paribus
iudican-
tium votis
ad alia ne-
gotia ad-
plicantur.

est circa votorum disparitatem ex aequo suffragantium iure *Diss. XIX §. II, 12 p. 447 Tom. II opusc.* Perferutati iam sunt hanc visionem AVLVVS GELLIVS *noctium Atticarum L. IX cap. 15,* et MARCVS FABIVS QVINTILIANVS, insignis Romanorum orator, *declamatione 365.*

§. LX

v. g. ad
ius eligendi,

Principia haec de computandis paribus iudicantium suffragiis ad alia etiam negotia possunt adplicari. Finge tibi, ecclesiam aliquam suo antistite sacro esse orbatam. Fac; ius eligendi nouum sex competere personis. Dicam igitur, tres Caium, tres Meuium eligere. Neutri sane electo munus, quod vacauit, sacrum, deferri potest, IOANNES PETRVS DE LVDEWIG, Cancellarius olim Academiae Fridericianae, *de sorte suffragatoria ecclesiae p. 5.* Vterque enim electus, aequum suffragantium ius allegat.

§. LXI

ad ius remouendi
oratorem
sacrum.

Alii speciei haec adplicabo principia. Quaestio ventilatur, num Meuius, sacer ecclesiae alicuius orator, ab officio sit remouendus? Sunt in vtramque partem paria suffragantium vota. Agitur itaque nihil ob aequa iudicantium suffragia. Quem enim quatuor suffragantium ab officio sacro remotum esse volunt, eum quatuor, ne munere detrudatur, defendunt, et quem, vt maneat in officio, quatuor protegunt, eum quatuor sacro munere gerendo indignum iudicant. Dum enim nihil ob aequum suffragan-

fragantium ius decerni potest, eo ipso prior sacri
antistitis status non mutatur. Manet igitur in officio,
qui idem hactenus gessit, atque adeo, licet nihil a-
gatur, negotium tamen ad finem perducitur, CARP-
ZOV, *decis. illustr.* 82 §. 35, Perillustris L. B. DE
CRAMER *in diss. de calculo Minervae suos vindicante*
terminos §. 4 p. 420.

§. LXII

Faciamus iam periculum, num principia, quae
de numerandis disparibus suffragantium votis stabili-
uimus, ad electionem etiam possint adplicari. Finge
tibi, novem personas eligentes, quatuor Titium, tres
Caium, duos Sempronium eligere. Titius profe-
cto munus, quod vacat, obtinebit. Plura enim,
scilicet quatuor suffragia habet, cum contra Caius
tribus, Sempronius duobus tantum suffulcitur votis.
Nec minus Titius paucioribus displicet personis eli-
gentibus, quum ipsi quinque tantum aduerfantur
suffragia; contra vero Caius per sex vota excluditur,
et Sempronio septem eligentes sunt contrarii, Per-
illustris L. B. DE CRAMER *de eo, quod iustum est*
circa disparitatem votorum ex pari suffragantium iure
§. 14 p. 448 *T. II opusc.*

Quid circa
electio-
nem, di-
sparibus
suffragan-
tium votis,
obtinet?

§. LXIII

Vnicum adhuc adicere liceat exemplum, peti-
tum ex iure gentium, illustrandae tamen paritati vo-
torum inferuiturum. In republica quadam libera
deliberatio instituitur, vtrum bellum contra vicinos
fit suscipiendum, an vero pax cum illis conseruanda?
Finge iam pares pro gerendo bello, et pace alenda,
esse

Eadem
principia
exemplo,
ex iure
gentium
de prompto,
illustran-
tur,

esse sententias, certe nihil agitur. Quod si igitur nihil agitur et decernitur, deliberatio pendeat, manente priore pacis statu.

§. LXIV

et ex iure
publico.

Ex acroasibus Estorianis memini binos hunc in finem commendari iuris decretalium interpretes, ve puta IMMANVELEM GONSALEZ TELLEZ T. II *commentarii* p. 794, et HEINRICVM WAGNERECK p. 402 *commentarii exegetici sacrorum canonum*, qui a se inuicem fecernunt contrarias sententias duorum iudicum ordinariorum ab aduersantibus sibi plurimum delegatorum sententias. Addebatur exempli illustrationisque gratia: Status quidam, circulo Westfalico adscriptus, debitis obrutus, videbat plurima nomina creditorum suorum inscripta fuisse debitorio senatus Imperii aulici. Quidam creditor ab augusta Camera Imperii iam anno 1740 obtinuerat mandatum de exsequendo. Ante motum concursum iussu Camerae Imperialis anno 1747 per directores Circuli Westfalici mittebatur Creditor in territorium Status illius. Constituerat interea excelsissimus Senatus Imperii aulicus commissionem ad conuocandos cunctos creditores. Missus iam creditor, anno 1748 vocatus ad Commissionem liquidationis, nolebat comparere. Iubetur ab Imperatore Augusto debitum sibi iure suo profiteri. Existimabat creditor hic adesse partim prorogationem necessariam imperatam, partim duorum iudicum ordinariorum contrarias sententias. Sed adparenter tantum! En speciem duorum iudicum ordinariorum! A directoribus circuli erat constitu-

stituendus administrator iussu Iudicii Imperialis Camerae, et decernendum salarium annuum a directorio. Fac directorem Monasteriensem 400 fl., Clivensem 300, et Iuliacensem 250 loco salarii annui decernere administratori. Ecce sententias contrarias subdelegatorum!

§. LXV

Haec de sententiis contrariis, tum paribus, tum disparibus, ad praescriptum legum l. 28, et 38 D. de re iud. et eff. sent., quas amico inuicem conciliavimus vinculo, attulisse sufficiat.

Transitus fit ad secundum caput.

CAPVT II

DE SENTENTIIS CONTRARIIS
EODEM TEMPORE LATIS EX IVRE
PONTIFICALI CONSIDERATIS.

§. LXVI

Transcamus igitur ad ius pontificale, dispecturi, quid ex hoc iure de contrariis sententiis, eodem tempore circa idem obiectum inter easdem personas latis, sit statuendum.

Quid ex hoc iure pontificali de sententiis diversis statuendum?

§. LXVII

Sedes primaria, quae de contrariis sententiis agit, est capitulum 27 X. de sententia et re iudicata. Auctor huius Capituli est GREGORIUS IX, qui anno post reparatam per Christum salutem 1227 praefuit Romano electus est. Quamdiu sedi Apostolicae praefuit Imperatorem Fridericum II, magnum illum herodem, iniuriis vexationibusque affecit acerbissimis; huic praefuli Gregorio ius civile quam maxime arrisit. Unde factum est, ut huius iuris placita fere ubique

Perpenditur cap. 27 X. de sentent. et re iudicata.



que in ius Pontificale transplantaret. Comprobat id inter alia capitulum praecedens 26, quod ex l. 63 D. de re iud. et effect. sent. fuit transfuntum.

§. LXVIII

In quo confide- rantur.

Brevioribus igitur hic nobis licet esse, quum hoc capitulum ex l. 28, 38 D. de re iud. et l. 27 §. 3 D. de receptis, qui arbitr. recep. depromptum, ubique fere iuris Iustiniani sancita supponit.

§. LXIX

Tria capi- ta. Primum eius caput proponi- tur.

In tria dispecfi potest hoc capitulum capita. Primum agit de contrariis sententiis, quae a iudicibus delegatis duobus fuerunt latae, quarum vramque ex arbitrio iudicis delegati pendere statuit Gregorius, quod omnino cum l. 28 D. de re iud. et effect. sent. conspirat, ad quam sententiae diuersae, a duobus datis iudicibus latae, pendebant, donec praetor alterutram confirmavit.

§. LXX

Alterum caput hoc est, cui

Alterum, de quo cap. hoc agit, caput, supponit diuersas sententias, a duobus ordinariis iudicibus latas fuisse, inter quas illa alteri praeferenda est, quae pro reo militat, et fauore iurium est suffulta. En egregiam cum l. 38 D. de re iud. et effect. sent. harmoniam! Exigua tantum inter capitulum hoc, et legem modo dictam deprehenditur differentia, quod in illo non nullae res, quae, per iurium praecepta aliquo dignae sunt fauore, enumerantur, v. g. matrimonium, libertas, dos, testamentum, quae omnia vberius illustravit AVGVSTINVS BARBOSA, Epi- scopus



scopus Vgentinus, *collectaneorum in ius Pontificium*
T. 1 Libr. 11 cap. 22 p. 668.

§. LXXI

Vltimum denique capituli huius caput suos de-
 bet natales legi 27 §. 3 *D. de receptis, qui arbitr. in*
se recep., suppleri tamen debet ex l. 17 §. 5, 6, 7 *de*
recept, qui arbitr. receperunt. prout id docet cap. 39
X. de officio et potestate iud. delegati; quippe in quo
 ad normam iuris ciuilibus cautum est, vt, si discordia
 fuerint eorum, in quos litigantes compromiserunt
 suffragia, hi vel in vnam descendant sententiam, vel
 tertium eligant compromissarium, quum semper com-
 promisso tacite insertum esse videtur, vt, orto dis-
 sensu, tertius eligatur arbiter. Licet igitur, orto
 dissensu tertius eligi possit compromissarius ex cap.
hoc 39 de offic. et pot. iud. deleg., quod Gregorium IX
 agnouit legislatorem: idem tamen alia plane fanciuit
 cap. 12 *X. de arbitris*, in quo generatim est constitu-
 tum, vt, si discordibus arbitratorum votis, tertius e-
 ligatur, nullum sit tale compromissum. At! quam
 male haec cohaerent cum priori huius Pontificis de-
 creto, et quam longe hic a mente Vlpiani deuiavit:
 Huic tamen diutius non immoramur.

CAPVT III

DE SENTENTIIS CONTRARIIS
 EODEM TEMPORE LATIS EX IVRE
 GERMANICO TVM PVBLICO
 TVM ECCLESIASTICO.

§. LXXII

Vnicum adhuc restat, quod circa pares, eas-
 que

ad tertium que diuersas sententias, circa idem negotium con-
caput. trouersum eodem tempore latas, ex iure publico Ger-
manico, tum politico, tum ecclesiastico me ponderare
oportet.

§. LXXIII

Ex iure
Germani-
co antiquo
iudex ex
paribus
maiora
reddere
non potuit
vota.

Ex principiis iuris Germanici, ortis assessorum
iudicantium paribus votis, iudex, vel qui iudicio
praeerat, per suam sententiam ex paribus maiora red-
dere non potuit suffragia. Hi assessores iudicantes
Rachimburgiorum, Racimburgiorum, Racinebur-
giorum, Rathimburgiorum nomine insigniebantur,
Perillustris FRIDERICVS ESAIAS DE PVENDORF,
summi prouocationum tribunalis, quod in terris
Brunsvicensibus Electoralibus Cellae, erectum est, As-
sessor longe celeberrimus, *de iurisdictione Germanica*
p. I cap. III §. 5 p. 18, vbi simul denominationis hu-
ius rationem est perferutatus.

§. LXXIV

In iudiciis
Germani-
cis scabini
require-
bantur.

Haec antiqua Germanorum iudicia sine iudice,
huiusque assessoribus, quos scabinos etiam vocabant,
exerceri non potuerunt, Perillustris DE PVEN-
DORF laudato loco *P. I cap. III §. 8 p. 23*, et Per-
illustris ESTOR *in dem Hten teible der Teutschen*
rechtsgelehrsamkeit, curante Illustri IOANNE AN-
DREA HOFFMANN *84 hauptstück §. 6578 f. III 6*.

§. LXXV

Iudex ipse
sententiam
non tulit.

In iudiciis ipse iudex suffragium non tulit, sed
sententiam tantum ex scabinis, sibi assidentibus, quae-
siuit, quod bellissime illustrat GLOSSA IVRIS PRO-
VINCIALIS SAXONICI *Libro III art. 78* „ wer in
„ einem

„ einem gehegten dinge fizet, und zu gebieten, oder
 „ verbieten hat, der ist richter, und nicht, der das-
 „ selbige halten muſs. Der aber, ſo das urthel fin-
 „ det, muſs ſolches thun um eines gebots willen,
 „ darum iſt nochmals, der des fraget, der richter,
 „ und nicht, der es findet. Das fünft iſt, wer ein
 „ richter iſt, ſoll kein urthel finden. - - - Darum
 „ muſs jo der kein richter ſeyn, der es findet, ſon-
 „ dern der es fraget, Perilluſtris HEINRICVS CHRISTIA-
 NVS L. B. DE SENKENBERG *d. iure collegiorum iuris* p. 30.

§. LXXVI

Forma iudiciorum Germanicorum haec erat. Forma iudiciorum Germanicorum adumbrata.
 Iudex iudicium cum ſcabinis, quorum plerumque
 numerus ſeptenarius erat, celebraturus, in loco quo-
 dam deſenſo, et diſpoſitorum hominum numero mu-
 nito, conſedit, Perilluſtris IOANNES GEORGIVS ESTOR
in dem 11ten teible der Teuſchen rechtsgelehrſamkeit
 84 *haubtſt.* §. 6582 *f.* III9. Hic enim numerus cum
 duodenario Germaniae aliisque ſeptemtrionis populis
 maxime arrifit, quod peculiari commentatione de
iudiciis duodecimviralibus populorum ſeptemtrionalium
ac Germaniae demonſtratum dedit Illuſtris Ieneniſium
 Anteceſſor, CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER *in Opu-*
ſculis p. 363. Acturus in hoc iudicio, querelam
 ſuam propoſuit, qua audita, iudex ex aſſidentibus
 ſcabinis quaefiuit, quid ipsis de hac ſpecie videatur,
 quod Germanis vocabatur *ein urtheil fragen*. Sca-
 bini diſpectionem ponderabant, qua ponderata, de
 ſententia ſerenda inter ſe conueniebant, quod maiori-
 bus noſtris *das urtheil finden* dicebatur. Sententiam,
 ab aſſeſſoribus quaefitam, iudex tandem pronuncia-
 bat,

F

bat, prout id comprobat IVS PROVINCIALE ALEMANNICVM cap. 385 §. 2. „ Ist ez vor dem gericht, so soll der richter fragen an ainer urtrail, vwie er sich sin untervvinden sul, daz ez jenem hilflich „ si an sinem rechten, so findet man urteil, dafs er „ sich sin untervvinden sul. „ Cum quo conspirant verba, quae in RETHMEIERI Braunschweig Lüneburgischen Chronik p. 627 leguntur, „ de richter vreg- „ het ok er del immer alle fake, wenn er will. „

§. LXXVII

index der frager, et scabini die finder des urtels audiebant.

Quam ob rem iudex vocabatur der frager, mahner, scabini vero die finder des urthels adpellabantur, Perill. IOANNES GEORGIVS ESTOR *in commentatione perevudita de Iudicio Principum fundamenta et radice pronocationis, vulgo Recursus ad Comitia sectione* 2 §. 139 p. 91. En antiquam iudiciorum Germanicorum formam, quam delineauerunt IOANNES LEONHARD. HAVSCHILD *in der gerichtsverfassung der Teutschen* p. 49 num. 4, et p. 79 num. 4, et Perillustri IOANNES GEORGIVS ESTOR *in dem zweiten teible der Teutschen rechtsgelehrsamkeit*, curante illustri IOANNE ANDREA HOFFMANN, 31 hauptstück p. 893, 84 hauptstück p. 1116, illustris BYDER d. l. §. 37 p. 605.

§. LXXVIII

Lites saepe apud Germanos duello dirimebantur.

Saepe etiam maioribus placuit, vt controuersiae inter litigantes duello dirimerentur, cuiusmodi lites decidendi memoria conseruatur *in der Kampsgerichtsordnung des burgrasthums Nürnberg von 1440, und in der ordnung des Kampsrechts am landgerichte zu Franken von 1512*, quas sanctiones parti I corporis iuris

iuris publici et privati p. 707, et 718 inseruit IOANNES STEPHANVS BVRRGERMEISTER, a consiliis olim nobilitati immediatae per Sueuiam.

§. LXXVIII

Haec iudicandi ratio, ex qua ipsi iudici nullum decidendi ius competiit, non circa controuersias modo priuatas viguit, sed etiam in caussis illustrium personarum cum cura fuit obseruata. Neque enim solus Imperator in caussis statuum illustribus iudicare potuit, sed potius cum status Imperii, vt pares curiae, eiusdem cum statu Imperii, qui rei vices sustinuit, dignitatis, in consortium iudicii adfiscere oportuit, qui sententiam ferendam inuenirent, Perillustri DE PVFENDORF *de iurisdictione Germanica p. III sect. III cap. 1 §. 8 p. 730*, Perillustri IOANNES GEORGIVS ESTOR in limitatissima commentatione de *iudicio principum, fundamento et radice prouocationis, vulgo recursus ad Comitia sect. 1 §. 23 p. II*, Perillustri HEINRICVS CHRISTIANVS L. B. DE SENKENBERG, summi tribunalis Imperii Vindobonensis Assessor, *in primis lineis iuris feudalis §. 348 p. 393, et §. 432 p. 522.*

§. LXXX

Ne quis vero obiciat, nullo hanc opinionem fulcumento inniti, firmissima et grauissima in medium proferam aliquot testimonia. Quum Ludouicus Dux Bavariae ex familia Ingolstadiensi a nonnullis Imperii statibus ob diuexationes, quibus illos affecit, in iudicium vocaretur, Diuus Augustus Imperator Sigismundus iudicium ex principibus Imperii collectum coegit, quod EBERHARDVS WINDEKIVS, qui per multum temporis aulae Sigismundi interfuit, *capite LX historiae Sigismundi*

F 2

col.

col. 1120, quae inserta est MENKENII *T. I scriptorum rerum Germanicarum*, eleganter adumbravit, in quo loco saepius haec legi possunt verba: „Do fragete der „konig die fürsten das recht darum, do sprochen die „fürsten, herzog Ludwig----. Eadem leguntur apud IVNGIVM *de Burggraviatu Norimbergensi in continuatione* p. 101 „des fragen wir die herren und rittere, die bey „uns an den rechten sassen, was darauff recht wer, die „stunden uff, und namen ein gesprache, und kamen dar- „nach wieder fur uns, und ertailten nach guter vorbe- „trachtung, und nach unser frage alle einbeliglich uff ir Eide. Cum quibus exacte conspirant litterae, quas exaravit Fridericus Septemuir Saxoniae, postquam ab Imperatore Sigismundo electoratus Saxoniae in ipsum fuit translatus, in quibus laudatum Imperatorem, *sinen kunigen einen richter und frager* nominat. Pluribus hanc veritatem testimoniis, ex Archiuo Camerali in lucem protractis, corroboratam dedit Perillustris IOANNES HEINRICVS HARPPRECHT, summi imperii tribunalis, quod Wezlariae coactum est, Assessor splendidissimus, *in dem ersten teible des staatsarchives des kayserlichen und heiligen Roemischen Reiches kammergerichts nr. 3 docum. p. 97, nr. 7 p. 100, nr. 18 p. 114.*

§. LXXXI

Eadem iudicandi forma in antiqua curia Imperiali viguit.

Qui immo antiquae curiae Imperatoriae iudex der reichshofrichter per constitutionem Albertinam adstringebatur, vt sententias pronunciet, prout ipsi ab iis, qui latera eius clauderant, fuerint suppeditatae, HEINRICVS BALTASAR BLVM DE KEMPIS, episcopi Spirensis a consiliis aulicis, *in commentatione de iudicio curiae imperialis germanico* 1745 §. 13 p. 19, §. 18 p. 380, §. 54 p. 103.

§. LXXXII

§. LXXXII

Quod si igitur iudex ex principiis iuris Germanici antiqui controuersias litigantium ipse per suum suffragium decidere non potuit, sed sententiam a scabinis, sibi affidentibus, inuentam tantum pronunciauit, facilius quisque, me licet non monente, perspiciet, subortis scabinorum votis paribus, iisque contrariis, iudicem ipsum per suum, ad alterutram contrariam sententiam, accessum, aequum assessorum iudicantium ius interuertere, et ex paribus votis maiora reddere nequam potuisse.

Hinc patet, iudicem ex paribus maioram reddere non potuisse vota.

§. LXXXIII

Nec est, quod quis mihi obmoueat §. I primae ordinationis Cameralis, quippe ex qua iudex Camerae voto, quod vocant, decisiuo, si paria sunt assessorum suffragia, possit gaudere. Verba §. huius sunt haec: „und ob sie (die urteihler) spännig, und auf ieglichen teihl gleich wären, welchen den der cammerrichter einen zufall thut, dabei solle es auch bleiben.“

Dubium mouetur ex § 1 O. C.

§. LXXXIV

Verum enim vero haec sanctio, quae forsitan ex funesta iuris peregrini cum patrio mixtura propullulauit, tum temporis vigorem habere potuit, quum nondum certi formabantur senatus. Quibus accedit, quod haec dispositio in subsequens Camerae ordinationibus, recentiori maxime, quae 1555 promulgata fuit, et in conceptu, quem vocant, ordinationis Cameralis, anno 1613 delineato, non solum non repetita fuit, verum etiam alius circa paria assessorum vota decidendi modus in *Ord. Cam. 1555 parte I tit. 13 §. 10, et C. O. C. parte I tit. 25 §. 4* fuit determinatus, illustris Goettingensium

quod res soluitur.

ICIUS IOANNES STEPHANVS PÜTTER *introductionis in rem iudiciariam Imperii, amborum supremorum imperii tribunalium parte I libro I sect. I cap. I §. 522 not. I p. 364*, et FRIDERICVS GVILIELMVS TAFINGER *in institutionibus iurisprudentiae Cameralis sect. I tit. 6 §. 112 nota I p. 101.*

§. LXXXV

Alii resolutionis fontis.

Ipse etiam obseruantia, quae legis habet vigorem, edocemur, hanc primae ordinationis Cameralis dispositionem plane esse abrogatam. Quem enim fugit, quem praeterit, quot motus excitauit iudex Camerae olim vicarius Franciscus Adolphus Diedericus Comes Ingelheimensis? Quum plenus Camerae senatus 1711 disquisiuit, num praesentatus a Circulo sueuico de Brailard admittendus sit, iudex hic Camerae vicarius, subortis suffragantium assessorum paribus votis, suffragium, quod vocant decisium, praetendere, praetensumque exercere nullus dubitauit. Longa huius litis series, et iustae corporis Euangelicorum querelae euolui possunt in ANTONII FABRI *staatskanzlei 34ten teible p. 557*, et in Perillustri EBERHARTI CHRISTIANI GVILIELMI DE SCHAVROTH *vollstaendigen sammlung der conclusorum corporis Euangelicorum T. 1 p. 285, 286*, quibus optimo iure adiungi debet Perillustri Camerae Imperii Assessor HARPPRECHT *in dem 11ten teible des staatsarchiues des kayserlichen und H. R. Reiches §. 72 p. 71*, et GEORG. MELCHIOR DE LVDOLF, Camerae Imperialis quondam Assessor, *parte III obseruationum forensium obseruat. 300 coroll. 2 p. 567.*

§. LXXXVI

Vltior

Desiderium quidem Comitis Ingelheimensis defendere,

fendere, prout videtur, conatus fuit IOANNES FERDINANDVS NAGEL in *diff. de maiestate et iurisdictione imperatoris Graeciae* 1711 *thesi* 14, 15. Aliud exemplum, quod pro contraria militare videtur sententia, et anno 1718 contigit, ex publicis pleni senatus commentariis, quos vulgus protocola appellat, eruit Perillustris HARPRECHT in laudato opere p. 538, qui tamen circa illud plane singulares obtinuiffe rationes, asseuerat, vt ad illud dissentiens prorsus prouocare non possit.

§. LXXXVII

Neque etiam silentio praetereundum esse puto, non deesse ICTOS sat graues, qui hanc primae ordinationis Cameralis dispositionem intercalatam esse arbitrantur, inter quos prae aliis referendus est IOANNES DECKHERR, Camerae olim procurator solertissimus, in *monumentis lectionum Cameralium antiquarum ad ordinat. Cameral. p. I titul. 9.* Quid in I. P. O. de praetense hoc iudicis Cameralis iure cautum sit, opportunior infra dicendi locus erit. Immo diuersus religionis status, per repurgata sacra in Germania introductus, dispositionem primae ordinationis Cameralis, siquidem illa olim vigorem habuit, plane aboleuit.

Ultima dubii soluedi ratio.

§. LXXXVIII

Ex quibus omnibus elucescit, iudicem Camerae, neque in pleno, neque in alio quocunque senatu suffragium ferre, adeoque ipsum diuersas assessorum sententias componere et decidere nequaquam posse.

§. LXXXVIII

Aliud vero circa praesidem summi tribunalis, quod Viennae erectum est, obtinet, quippe cui, orta suffragiorum paritate, votum, quod nuncupant pragmatici, decifium,

Iudex Camerae nullo, si paria sunt assessorum vota, voto gaudet decifio.

Aliud obtinet in iudicio imperii aulico.

cisuum, numquam est denegandum, *Ordin. iud. Imp. au. tit. 5 §. 16* „da unterschiedliche vota in der anzahl „gleich wären, so soll unser praesident einem teilh mit „seiner stimme beifall thun, und alles denn auf dasselbi- „ge, als das mehrere schliessen, IOANNES STEPHANVS PÜTTER *in introductione in rem iudicariam imperii, amborum supremorum imperii tribunalium, P. II libro II sect. 1 §. 761 not. 1 p. 504.*, et *in noua epitome processus imperii ambor. supr. imp. trib. libro V cap. 2 §. 462 p. 282.* Quis vero non perspicit, hanc iuris patrii inno- uationem per recepta peregrina iura fuisse factam? Quid vero circa controuersias vel ecclesiasticas, vel inter diuersae religionis affectas, coram Augusto hoc tribu- nali ventilatas, sententias, per leges imperii cautum fit, infra dilucidius deducetur.

§. LXXXX

Paritas vo-
torum ex
legibus
Imperii est
vel vera,
vel ficta.

Paritas votorum ex praescripto legum Imperii Germanici est vel vera, vel ficta. Illa obtinet, quando omnes sententiae, in quas suffragantes scinduntur, pari votorum numero suffulciuntur. Haec contra locum sibi vindicat, quando ob peculiare rationes ea sententia, quae minoribus innititur suffragiis, eodem gaudet ro- bore, quo sententia, pro qua plura militant vota, est munita.

§. LXXXXI

Paritatis
votorum
fictae du-
plex fun-
damen-
tum.

Haec paritas votorum ficta duplicem supponit vi- sionem, quae vel circa negotii grauitatem, vel diuersas litigantium religiones versatur.

§. LXXXXII

Prius fun-
damen-

Prior fictae paritatis votorum dispectio innititur ordinationibus Cameralibus, scilicet *Ordinat. Cam.*

1555

1555 p. 1 tit. 13 §. 10, C. O. C. p. 1 tit. 25 §. 4, qui- rum voto-
 bus prouifum est, ne in arduis controuerfiis, qui neque vel rum pari-
 quatuor vota maiora cenfeantur, tribus. „ Und fo tatis ficta.
 „ fuchs begäbe - - - dafs unter achten drey aus wich-
 „ tigen anfehnlichen und tapfern urfachen einer an-
 „ dern und fondern meinung feyn würden, fo foll als-
 „ denn, cet. cet. O. C. 1555 p. 1 tit. 13 §. 10. Vel, prout
 „ verba C. O. C. p. 1 tit. 25 §. 4 leguntur. „ Und fo fuchs
 „ begäbe - - dafs unter fieben drey aus wichtigen an-
 „ fehnlichen und tapfern urfachen einer andern und
 „ befondern meinung feyn würden, fo foll alsdenn die
 „ fache, oder der punct, darin fie strittig, an den cam-
 „ merrichter und andern Assessores gelangen. Haec
 „ ficta votorum paritas nec nouioribus Camerae ordi-
 „ nationibus, nec imperii legibus sublata est, quin potius
 „ eam propugnat R. V. 1713 §. 36 „ dasjenige zu be-
 „ obachten, was auf den fall, da einige beifitzer aus
 „ wichtigen urfachen einer andern meinung als die
 „ maiora feyn würden, hiebefore heylfämlich verord-
 „ net, nach anleitung der K. G. O. p. 1 tit. 13 §. 10
 „ genau zu beobachten. „ GEORG. MELCHIOR DE
 „ LVDOLFF *variarum obseruationum forensium* P. III
 „ obseru. 300 coroll. 2 p. 567, qui simul d. l. p. 569 in
 „ rationes inquirat, quibus Assessores Camerae moti
 „ pro octonario suffragantium numero posuerint septe-
 „ narium, PÜTTER *in introductione in rem iud. imp.*
 „ *ambor. imp. tribunal. supremorum* p. II libr. I sect. I
 „ cap. VII §. 636 not. I p. 424, TAFINGER *Institutio-*
 „ *num Iurisprudentiae Cameralis* sect. I tit. 13 §. 313
 „ not. f. p. 279. Num vero haec ficta votorum paritas
 „ ad alios senatus, pluribus, quam septem vel octo as-
 „ sessoribus consistentes, extendi possit, si inter duodecim

G

iudices

iudices quinque dissenferint a septem reliquis, quaestio est, altiori adhuc exposita disquisitioni. In affirmantem propendere videtur opinionem DE LVDOLEFF *d. l. p. 571*, ob eandem paritatis fictae, et proportionis arithmeticae rationem; contrariae tamen sententiae adstipulatur citatus modo TAFINGER *d. l.*

§. LXXXXIII

Posterius
paritatis
votorum
fictae fun-
damentum,

Posterior species votorum, quae per leges Imperii paria fingit, respicit vel personas diuersae religioni addictas, vel causas ecclesiasticas. Vtramque si finxeris inspectionem, ex praxi Camerae quidem senatus ex vtriusque religionis pari numero Assessorum formantur, et, ubi in negotiis grauibus referenti solet adiungi correferens, horum alter Romano Catholicus, alter Evangelicus constituitur, I. P. O. art. V §. 54, PÜTTER *introd. in rem iud. Imp. ambor. tribunal. Imp. summorum p. II Libro I cap. VII §. 637 p. 424*, TAFINGER *Instit. Iurisprud. Cam. Libro I tit. 13 §. 314 p. 280*. Ex obseruantia vero Vindobonensis iudicii imperatorii, si vel Romano-Catholici, vel Evangelici, qui in Augusto hoc tribunali a consiliis sunt, in partes, ut vocant, iuerunt, oritur ficta votorum paritas, quae hunc sortitur effectum, ut pauciora Evangelicorum vota, eodem gaudeant valore, quo pollent maiora Romano-Catholicorum suffragia, I. P. O. art. V §. 55, *Ordinat. Iud. Imp. aulici tit. 5 §. 22*, PÜTTER *d. l. p. II libro II sect. II cap. I, §. 780 p. 517*.

Historia
huius pari-

§. LXXXXIII

Evangelici status in controuersis, quae vel inter

ter diuerſae religionis aſſeclas agitabantur, vel reli-
 gionem et ſtatum eccleſiaſticum afficiebant, de re-
 ſtringenda iuriſdictione ſupremorum Imperii tribu-
 naliſum, nullis limitibus circumſcripta, poſt repur-
 gata ſacra, numquam non fuerunt ſolliciti, MEL-
 CHIOR GOLDASTVS Haiminſfeldius *Conſtitutio-
 num imperii Tom. II p. 177*, FRIDERICVS HORT-
 LEDER, a conſiliis olim Duci Saxo-Vinarienſi, von
 den urſachen des Teutſchen kriges kayfers Carls des
 fünften, wider die Schmalkaldiſche bundes-oberſte
libr. I T. I cap. VII p. 48 edit., anno 1645 diuulgatae.
 Iuſtiſſimis Euangelicorum deſideriis annuere tandem
 non dedignatus fuit Diuus Imperator Carolus V, et
 in conuentu imperii, 1539 Francofurti ad Moenum
 habito, proceſſus omnes in cauſſis religionem con-
 cernentibus, et contra Auguſtanae Confeſſioni ad-
 dictos in Camera pendentes, ſublatis fuerunt, quae
 ſanctio in proximis imperii Comitibus fuit corroborata,
Receſſ. Imp. 1541 §. 29, et R. I. 1542 §. 131.

§. LXXXXV

Obtinere deinde Euangelici per transactionem Quae con-
 Paſſauienſem, anno 1552 initam, et huic proximam tinuatur.
 pacem religionis, Auguſtae Vindelicorum anno 1555
 compoſitam, vt etiam Auguſtanae Confeſſioni addi-
 ti in numerum perſonarum Cameralium reciperentur,
*Transact. Paſſau. §. 11, 12, et religionsfriede von
 1555 §. 32, 104, Ord. Cam. 1555 p. 1 tit. V §. 2,*
 cuius paritatis cuſtodia per *Receſſ. Dep. 1557 §. 32,*
R. I. 1566 §. 6, R. I. 1576 §. 62, R. I. 1598 §. 69
 cum cura ſemper fuit iniuncta.

G 2

§. LXXXXV

§. LXXXXVI

Quid circa
hanc pari-
tatem a-
ctum fuit,
quod ad
iudicium
Imp. auli-
cum?

Easdem fere querelas contra Augustum Imperii tribunal, quod Viennae confedit, praesertim circa annum 1607 mouerunt status Euangelici, quod omnes causae religionis coram summo hoc tribunali, ex solis licet Romano-Catholicis constante, diiudicarentur, LONDORP *Actor. publicorum T. I p. 67.* Tandem imperator, ut hisce grauaminibus obtuiam iret, in pace Pragensi, 1635 inter ipsum et Saxoniae Electorem sancita, et Euangelicis alias admodum funesta, promisit, se A. C. addictos iudicio Imperii Vindobonensi esse admoturum, §. 28 *des Pragischen fridens.*

§. LXXXXVII

Quid de
hac parita-
te inter tra-
ctatus pacis
Westphalicae ven-
tatum fuit?

Quum tandem tractatus pacis Westphalicae instituebantur, instituti continuabantur, non postrema Euangelicis cura fuit, ut defectibus in supremis Imperii tribunalibus, maxime ex religionis diuersitate coortis, medela adhiberetur. Quod tum temporis inter status Romano-Catholicos et Euangelicos vtro citroque actum fuit, insertum deprehendes LONDORPII *actorum publicorum Tom. V libro VII cap. 17 p. 1073, Tom. VI cap. 22 p. 43 seqq.* IOANNIS GODOFREDDI DE MEIERN *actorum pacis Westphalicae publicorum T. I L. V §. 2 num. 7 p. 437, Libro VI §. 20 num. 7 p. 621, T. II Libro XV §. 3 n. 2 p. 563, p. 572, et §. 9 p. 584, §. 11 p. 674, T. II Libro XX §. 12 p. 155, T. III Libr. XX §. 14 p. 167, §. 24 p. 198, §. 30 p. 286, L. XXI §. 24 p. 369, §. 36 p. 422, §. 39 p. 433, T. III L. XXV §. 10 p. 56 §. 11 p. 86, §. 13 p. 88, §. 14 p. 113, §. 15 p. 116, §. 16 p. 128, T. III L. XXVIII §. 9 p. 523, §. 12 p. 550, T. III L. XXX §. 2 p. 574, L. XXXII §. 18 p. 929, §. 26 p. 965, T. V L. XXXIX §. 2 p. 47 et p. 493,*

493, quibus adiungas velim DAMIANI FERDINANDI HAAS commentationem de paritate indicantium utriusque religionis, et de eo, quod eueniente votorum paritate in diiudicandis causis ecclesiasticis, et quae ab his dependent, politicis, in supremis imperii tribunalibus iustum est, Giessae 1756 §. 21 seqq. p. 22 seq, quorum scrinia expilare superfluum foret atque piaculum.

§. LXXXXVIII

Tandem summi paciscentes, et status Imperii vtriusque religionis in formulam §§. 53, 54, 55, 56 art. 5 I. P. O. consenserunt, cuius dispositionem paucis adhuc inuestigabimus, quae vt clarior et illustrior reddatur, variae hic visiones a se inuicem sunt distinguendae.

Consensus summo- rum pa- scentium in art. V §. 53, 54, 55, 56.

§. LXXXXVIII

Aut enim litigantes sunt immediati aut mediati. Vtramque si finxeris visionem, aut illi eandem profitentur religionem, aut diuersis addicti sunt sacris. Si litigantes immediati, eadem colunt sacra, tum aut paria vota existunt circa interpretationem et sensum legum imperii, aut circa ipsum causae in litem deductae statum.

Species di- uersae in hac dispo- sitione con- tentae ad generalia reducun- tur princi- pia.

§. C

Illa species si obtinet, remissio ad Imperii comitia ab vno senatu illico fieri potest, tam in iudicio, quam extra iudicium, §. 56 art. V I. P. O., laudatus iam aliquoties TAFINGER sect. III institutionum iurisprudentiae Cameralis cap. VII §. 53 p. 491. Sententiam eiusmodi iudicalem, quam vocant, remissoriam, die 6 nouembr. 1667 latam in controuersia, quae inter Duces Megapolitanos et Saxo-Lauenburgicos aggitabatur, exhibet DECKHERR in notis ad Blunii processum Cameralem tit. 18 num. 32 p. 359, qui insuper

Quid senti- endum de paritate votorum, circa du- bium legis imperii sensum, si litigantes sunt imme- diati, et ei- dem reli-

gioni addi- d. l. *num.* 81 p. 450 decretum remissorium, extra iu-
cti? dicitum datum, commemorat.

§. CI

Quid sen-
tiendam
de paritate
votorum
circa ipsum
causae sta-
tum, si li-
tigantes
sunt imme-
diati, et ei-
dem reli-
gioni addi-
cti?

Quoties contra in lite, quae inter immediatos, iisdem sacris addictos, mota fuit, paria circa ipsius controuersiae statum feruntur vota, denuo plerumque rogantur suffragia, qua rogatione repetita, si adhuc votorum paritas emergit, fieri debet adiunctio duorum quatuorue assessorum, qui si ipsi in paria incidunt vota, duo rursus prioribus adiungendi sunt assessores. Quod si igitur post varias, in senatu quodam separato factas adiunctiones, semper secuta fuit votorum paritas, causa deuoluitur ad plenum senatum, O. C. 1555 p. I tit. 13 §. 10, C. O. C. P. I tit. 25 §. 4, PÜTTER in *introductione in rem iudic. imp. ambor. imperii suprem. tribunal.* p. II libr. I sect. I cap. VII §. 636 p. 423, TAFINGER *Instit. iurispr. Cameral. sect. I tit. 13 §. 323 p. 285.*

§. CII

Adiunctio
haec locum
habet et in
causis po-
liticis et ec-
clesiasticis.

Haec adiunctio, si lis inter eiusdem religionis asseclas agitur, tum in causis politicis tum religionis locum habere videtur, C. O. C. p. I tit. 25 §. 5. Licet non negem, raro circa causas ecclesiasticas inter immediatos eiusdem religionis in litem deductas, orta votorum paritate, fieri posse adiunctionem, quum Iurisdictione supremorum Imperii in causis ecclesiasticis, tum inter Romano-Catholicos solos, tum inter Evangelicos solos, tum inter utrosque controuersis, non est fundata, TAFINGER *Instit. iurispr. Cam. sect. III tit. 2 §. 438 p. 381.*

§. CIII

Quis exitus
si in pleno
senatu
rursus vo-

Quid vero si etiam in pleno senatu, facta adiunctione, paria emergunt suffragia? res certe exitu destituitur. Licet enim *L. P. O. art. V §. 56* cauere videatur, vt

ex

ex praescripto O. C. decidatur, nusquam tamen in illa reperiri potest modus, quo id fieri debeat, praescriptus. Dum igitur paria in pleno senatu adfunt suffragia, nihil agitur, quam opinionem etiam GEORGIUS MELCHIOR DE LVDOLFF *obseruationum forensium P. III obseruat. 300 coroll. 2 p. 567* adoptasse videtur.

§. CIIII

Discipiamus, quem modum decidendi controuersias, quae inter immediatos, diuersam profitentes religionem intercedunt, praescribant C. O. C., et I. P. O.? Hic si votorum inter se dissentientium aequalis est numerus circa interpretationem eiusdem remissio ad vniuersalia imperii comitia locum sibi vindicat §. 56 *art. V I. P. O.*

§. CV

Quod si vero circa ipsum rei controuersae statum, siue illa sit ecclesiastica, siue sit politica, postquam illa a delectis ex vtraque religione pari numero assessoribus discussa fuit, §. 54 *art. V I. P. O.*; paritas votorum, siue vera siue ficta, tam in separato, quam facta adiunctione, in pleno etiam senatu emergat, tum causa remittenda est ad vniuersalia imperii comitia, §. 56 *I. P. O.* Quae omnia obseruanda sunt, siue controuersia agitur inter Romano-Catholicos et Aug. Confess. addictos status, siue inter hos solos, siue inter R. Catholicos et R. Catholicos, si tertius, qui interuenit, Augustanae Confessioni adfuit, siue inter solos Euangelicos, si tertius, qui interuenit, Romano-Catholica colit sacra §. 54 *art. V I. P. O.*

§. CVI

Transio iam ab immediatis ad mediatos, inuestigaturus modum, paria vota ex norma, in I. P. O. praescripta, determinandi. Eandem quam in §§. antecedentibus calcauimus, incedamus via. Aut enim hi mediatos

H

diati

torum paritas oritur?

Quid de votorum paritate sentiendum circa dubium legis Imperii sensum, si litigantes immediati diuersa colunt sacra?

Quid sentiendum de paritate votorum, circa ipsum causae statum, si litigantes immediati diuersa colunt sacra?

Quid sentiendum de paritate votorum circa du-

Quid sentiendum est de votorum paritate circa ipsam causam, si litigantes mediati eiusdem religionem profitentur?

diati eandem colunt religionem, aut in modo Deum colendi dissentiunt. Prius si supponas, tum, si dubia legis cuiusdam explicatio emergit, remittere oportet suprema imperii iudicia litem, ad vniuersales imperii conuentus, §. 56 art. VI. P. O.

§. CVII

Quid sentiendum est de votorum paritate circa ipsam causam, si litigantes mediati eiusdem sacris addicti sunt?

Si contra in lite, quam mediati eiusdem religionis affectae inter se alunt, votorum dissentientium aequalis oriatur numerus, tum facta in separato senatu duorum quatuorue assessorum adiunctione, et secuta subinde votorum paritate, controuersia deuoluitur ad plenum senatum, in quo idem decidendi modus obseruatur, qui in §§. antecedentibus fuit determinatus. Quae circa paritatem votorum in controuersia inter capitulum cathedralis ecclesiae Monasteriensis et patricos Monasteriensis, qui die erbmäner vocantur, in Camera Imperii ortam, ventilata fuerunt, in publico imperii conuentu, Ratisbonae coacto, prolixè recensuit Perill. IOAN. GEORG. ESTOR *in dem 1sten teible der anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses* 86 titel §. 819 p. 279--283.

§. CVIII

Quid sentiendum est de paritate votorum circa dubium legis Imp. sensum, si litigantes diuersam foueant religionem?

Quod si litigantes mediati, ratione ad modum Deum colendi habita, in diuersas seinduntur opiniones: tum controuersia ad vniuersales imperii conuentus remittatur, necesse est, quoties circa explicandam Imperii legem assessores supremorum imperii iudiciorum contrarias fouent sententias, §. 56 art. VI. P. O., O. iud. aul. Imp. tit. V §. 22.

§. CVIII

Quid sentiendum est de paritate votorum?

Vltimatandem visio superest, digna, quae vltiori subiiciatur serutinio: quid scilicet, si litigantes mediati diuersa colunt sacra, et aequalis votorum inter iudices numerus

numerus oriatur, leges Imperii statuunt? Duo circa hanc quaestionem capita evolui debent.

§. CX

Prius, quod posteriori praemitti debet, hoc est! num, si litigantium mediatorum altera Romano-Catholicae, altera Evangelicae religioni nomen dat, paritas religionis circa iudices in supremis Imperii tribunalibus obseruari debeat? In tres sententias scissos deprehendi ICtos. Sunt enim, qui paritatem religionis, habito ad iudices respectu, nequaquam attendendam esse aiunt circa lites priuatorum, diuersam profitentium religionem. Prouocant hi ad suffragia Caesareorum ad tractatus Osnabrugenses ablegatorum, quae inseruit *Actorum Pacis Westphal. T. V p. 492.* IOANNES GOTTFRID DE MEIERN. Alii mediam incedere videntur viam, paritatem hanc tum demum circa iudices obseruari debere, si vtraque vel alterutra litigantium pars pares numero, respectu ad religionem habito, iudices expecterit. Hi pro firmanda sua opinione laudant ipsa §. 56 *art. V I. P. O.* verba, quae haec sunt; „ Si vero inter mediatos vel actor vel reus vel tertius interueniens fuerit „ Augustanae Confessionis, et PARITATEM IUDICANTIVM „ EX VTRIVSQVE RELIGIONIS ASSESSORIBVS, POSTVLAVERIT, ADHIBEANTVR PARES „. Alii denique citra omnem exceptionem, hanc iudicum paritatem haut negligendam esse putant, si litigantes mediati diuersis nomen dant sacris. Hi in suas trahunt partes suffragium ablegati Lauenburgici, quod legere licet in *Actorum pacis W. T. V p 495* diuulgatorum a laudato DE MEIERN. Qui hanc fouent opinionem, obscura §. 56 *art. V I. P. O.* verba explicanda esse censent ex *ordinat. iud. imp. aul. tit. I §. 2,* quum ibi, quae pax Westphalica obscure profert, clarissime exponuntur, vt nulli amplius dubio

rum circa ipsum causae statum, si litigantes mediati in diuersa scindantur sacra?

Prius huius visionis caput evoluitur.

locus esse possit, Perillustris et Magnificus huius sedis
litterariae Procancellarius IOANNES GEORGIUS ESTOR
in delineatione iuris publici ecclesiastici protestantium cap.
XI §. 7 p. 148; DE LVDOLFF observationum forensium
T. I observatione 82 p. 197.

§. CXI

Posterius
huius di-
spectionis
caput crui-
tur.

Quod autem ad posterius attinet caput, tabulae pa-
cis Westphalicae cauerunt, vt lis ad Ordinationem Ca-
meralem decidatur, §. 56 art. VI. P. O. Verum, quum
de hac visione dicta dispositio plane silet, prout supra §.
CIII ostendi: certe circa hanc dispectionem nil agi-
tur, adeoque, quum res exitu caret, ea principia et
hic applicanda sunt, quae in capite primo stabiliuimus.

§. CXII

Quis exi-
tus, si facta
actorum ad
academias
diuersae
religionis
transmis-
sione,

Ego vero antequam ad finem huius dissertationis prope-
ro, inspectiones, vulgo casus. quas in praefatione formaui,
quaeque huic commentationi conscribendae occasionem de-
derunt, ponderare me oportet: quidnam, facta ad duos qua-
tuorue diuersae religionis Academias actorum transmissio-
ne, suffragisque ordinum Ictorum paribus ortis, leges tum
ciuiles tum canonicae tum sanctiones Germaniae caueant,
iubeantque?

§. CXIII

sententia-
rum orta
sit paritas?

Duo modi, saluo cuiusuis meliori ac rectius sentientis iu-
dicio, suffragiorum paritatem tollendi mihi superesse viden-
tur. Aut enim iterata placet actorum transmissio, ex praesci-
pro legum Imperii; aut lis ad vnum amborum Imperii tribu-
natum deuoluitur. Interea prior modus, ob difficultates,
quae neminem fugiant, nouis implicitus est difficultatibus:
posterior igitur modus, quo paria suffragia consequendi me-
tus euitatur, priori praefendus videtur. Illam ob causam
omnia ea principia, quae capite III deduxi, hic locum
inuenient, eruntque, si quid video, applicanda.

ERRATA

exstantiora Beneuolus Lector ita corriget:
P. 24 §. 38 lin. 2 pro L. 38 l. L. 28, et eod. §. pro in marg. l. 2; ro L. 38 l. L. 28,
p. 37 §. 67 lin. 2 pro cap. 27 l. cap. 26, et eod. §. pro in marg. l. 2 pro 27
l. 26, p. 38 l. 2 pro 26 l. 25.



Marburg, Diss., 1756-63

ULB Halle

005 360 072

3







20

10
1759, 3

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE
SENTENTIIS CONTRARIIS
EODEM TEMPORE CIRCA IDEM
NEGOTIVM LITIGIOSVM LAVIS TVM EX IVRE
CIVILI TVM PONTIFICALI TVM GERMANICO

P 482

ET PVBLICO ET ECCLESIASTICO CONSIDERATIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO
HASSIAE LANDGRAVIO ET PRINCIPE HEREDE
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA MARBURGENSI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AC
PRIVILEGIA DOCTORIS LEGITIME CAPESSENDI
ILLVSTRI SENATVI ACADEMICO
AD OPPVGNANDVM PROPONIT
DIE IAN. A. R. S. MDCCCXVIII
CAROLVS LVDOVICVS WILLE
CASSELLIS HASSVS.

TYPIſ PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI ACAD. TYPOGR.

